



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Distinctio Quinta. De Sacrificio Missæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

Moralem propriè non pertinent. Quæ verò dicenda forent de præcepto Communionis, præsertim Paschalis, jam superiùs (b) agendo De præceptis Ecclesie, ex professo discussa fuerunt.

(b) Tr. 1. c. 7.  
Dist. 3. Q. 3. § 1694.

# DISTINCTIO V.

## De Sacrificio Missæ.

### QUÆSTIO I.

#### De natura Sacrificij in genere.

1. **A**dvertendum, quòd Evcharistia possit dupliciter considerari. Primò, ut est Sacramentum novæ Legis; id est, Signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis panis & vini. Secundò, ut est Sacrificium novæ Legis: quomodo ipsa non solum ex opere operato confert gratiam dignè fumentibus, sed etiam prodest alijs, pro quorum salute offertur. Viso proinde de Evcharistia, ut est Sacramentum, restat agere de ipsa, ut est Sacrificium, præmissâ tamen ad majorem claritatem unicâ Quæstione de natura Sacrificij ut sic: unde

Evcharistia ut Sacramentum, & ut Sacrificium.

2. Advertendum ulterius, quòd Sacrificium in communi dupliciter sumatur, propriè scilicet, & impropriè seu latissimè. Hoc posteriori modo Sacrificium etiam comprehendit sub se preces, & orationes devotas Fidelium: juxta illud Psalm. 49. *Immola Deo Sacrificium laudis.* Et ad Hebr. cap. 13. *Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum consentium nomini ejus,* & alibi. Sacrificium propriè dictum est peculiaris actus virtutis Religionis, quo speciali quodam modo protestamur summam & absolutam excellentiam DEI, nostramque subjectionem ad ipsum, per oblationem & destructionem alicujus rei sensibilis. Et loquendo de hujusmodi Sacrificio, sic

Sacrificium propriè, & impropriè.

3. **CONCL. I.** *Sacrificium propriè dictum, est oblatio externa rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum dominium atque excellentia DEI & subiectio Sacrificantis ad ipsum, mediante aliquâ ipsius rei oblatæ destructione, seu immutatione.* Ita in re communis, & concordant dicta superiùs. (a)

Sacrificium propriè, quid? (a) Tr. 5. Dist. 1. § 15.

4. Dicitur, *oblatio externa rei permanentis, utputà ovis, bovis, vituli, tritici &c. ad distinguendum Sacrificium propriè dictum*

Est rei permanentis.

Ccccc

à Lau-

à Laude DEI, quæ fit Deo verbis transeuntibus; atque ab Adoratione eidem exhibita per genuflexionem, & hujusmodi; nec non ab omni Oblatione, interna, qua quis per piam voluntatem se, suaque omnia Divinæ Majestati offert, atque resignat.

Ad id suffi-  
cit sola rei  
oblata im-  
mutatio  
moralis.

5. Dicitur ulterius, *mediante aliquâ ipsius rei oblata destructione, sive immutatione.* Hæc siquidem ad rationem Sacrificij propriè dicti omninò requiritur, quamvis non semper sit necesse, rem oblatam physicè destrui; cum quandoque sufficiat sola illius immutatio moralis, sive humano modo facta, in quantum res oblata accipit alium statum, & ad priores operationes redditur inutilis. Sicquippe olim Hebræi sacrificare Deo censebantur, dum vinum, oleum, aut alios hujusmodi liquores effundebant in terram circa Altare Domini: nam tunc vinum illud, aut oleum, non statim substantialiter corrumpebatur, donec siccaretur, sed solum acquirebat statum inutilem ad usus humanos.

Declaratur  
alijs ex-  
emplis.

6. Quo etiam modo Veteres, quibus sicut erat magis frequens, ita & magis nota ratio Sacrificij, quandoque sacrificabant proficiendo aliquid in mare, vel etiam coquendo panes in clibano, sicque farinam immutando: prout de quibusdam malis Judæis, coquentibus placentas Reginae cæli, legitur *Jeremia cap. 7.* Nam tunc farina substantialiter non corrumpebatur, sed solum mutabatur in alium statum, à suo pristino diversum: res verò in mare projecta, utputà annulus, plerumque in sua substantia persistebat, immutabatur tamen, quatenus ad usus humanos inutilis fiebat. Cæteræ particulæ definitionis Sacrificij tum ex alibi dictis (b) tum magis ex dicendis patebunt.

(b) Tr. 5.  
Diss. 1. n.  
15. &

seqq.  
Sacrificium  
est actus  
Latriæ.

7. CONCL. II. Sacrificium est actus virtutis Religionis, & quidem supremæ ejus speciei, quæ dicitur *Latria*; unde non nisi soli Deo offerri potest. Ita communis omnium Theologorum; & patet ex ipsa Sacrificij definitione, qua dicitur, Sacrificium exhiberi in protestationem supremi dominij, atque excellentiæ: nam hæc non nisi soli Deo competit.

Sacrificium  
Missæ non  
offeritur  
Sanctis.

8. Ex dictis proinde sequitur primò, quòd, quamvis in honorem Sanctorum oprimè celebrentur Missæ, nihilominùs nec Beatissimæ Mariæ Virgini, nec ulli Sancto reverà offeratur Missa. Siquidem hæc est Sacrificium novæ Legis propriè dictum, quale non nisi soli Deo offerri potest, eò quòd in ipso solo reperitur supremum in omnes creaturas dominium, summæque excellentiæ. Hinc Concilium Tridentinum *Sess. 22. cap. 3. sanctis*

Altissimè monet: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: Unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam facimus in terris.* Hæc Tridentinum: quod ipsum dudum jam docuit S. Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, cap. 27. & communis sensus Ecclesiæ.

9. Sequitur ulterius, quod Sacrificia Gentilium, etsi cæteroque proprie dicta, ex eo capite fuerint illicita, imò & execranda, quia non fuerunt exhibita vero Deo. Fiebant enim tum hominibus, & quidem pessimis; ut Beel, seu Baalim (qui fuit Nemrod, *robustus venator coram Domino, Gen. 10.*) & alijs hujusmodi, quos cæca, aut veriùs propriâ malitiâ excæcata Gentilitas pro dijs habebat: tum dæmonijs per simulacra Idolorum nonnullam responsa dantibus; juxta illud, etiam ingratis Israëlitis quondam objectum, Deuter. cap. 32. *Immolaverunt dæmonijs, & non DEO, dijs quos ignorabant, & alibi.*

10. Concl. III. Non solum in Lege Mosaica, sed etiam ante ipsam, aliqua extiterunt Sacrificia. Patet hoc clarè ex Sacra Scriptura: ut ex primis septem Capitulis Libri Levitici, ubi de Sacrificijs Legis Mosaicæ agitur: item ex cap. 4. Genes. ubi longè antea justus Abel Deo obtulit *de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Et Gen. 8. ubi Noë post Diluvium, tollens *de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare.* Item Melchisedech obtulit panem & vinum (*erat enim Sacerdos Dei altissimi*) Gen. 14. & alibi sæpè.

11. Quinimò notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quaest. 95. art. 1.* quod naturali Jure præscribatur, Deo esse sacrificandum, quamvis an hæc, vel illa sint sacrificanda, Lex humana vel Divina postmodum constituerit. Sicut à pari Jus naturale præcipit, Deum esse orandum, atque invocandum, utpote summum rerum omnium Dominum, & Largitorem bonorum omnium, eique pro acceptis beneficijs grates debitas referendas & quamvis certæ & determinatæ preces, & formulæ precandi, sint Juris positivi, Divini vel humani.

12. Porrò Sacrificia veteris Legis variè dividebantur: & in primis ratione materiæ, in Victimam, Immolationem, & Libamen. *Victima* comprehendebat animalia oblata, & mactata in honorem Dei: utputà quando de bobus, ovibus, agnis, vel

Sacrificia Gentilium fuerunt vera; & cur illicita?

In Lege Mosaica, & jam ante ipsam fuerunt aliqua Sacrificia.

Deo esse sacrificandum, est de Jure naturali.

Sacrificia veteris Legis, varia: ut Victimæ

CCCCC 2

vel

**Immolatio.** vel capris fiebat Sacrificium. Per *Immolationem* offerebantur res inanimatae, & solidae: ut panis, simila, thus, triticum, & hujusmodi. **Libamen.** *Libamen* dicebatur, quando fiebat oblatio de rebus inanimatis, sed fluidis, quae effundebantur: ut vinum, oleum, alique liquores.

13. Alia divisio Sacrificiorum Legis Mosaicæ ratione finis, & formæ, fuit in Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostiam pro peccato. **Holocaustum,** & *Holocaustoma*, erat Sacrificium Deo oblatum purè ad laudem & cultum ipsius, atque in protestationem supremæ suæ excellentiæ: & in hoc tota res oblata destruebatur, seu comburebatur, ut nihil cederet in usum humanos.

**Hostia pacificorum.** *Hostia pacifica*, seu *Hostia pacificorum* erat Sacrificium, quod offerebatur Deo vel in gratiarum actionem pro accepto beneficio; & alio nomine dicebatur *Sacrificium Landis*: vel pro impetratione alicujus beneficii novi; & erat *Sacrificium impetratorium*: & in eo una pars comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum ipsorum offerentium. Tandem *Hostia pro peccato*, erat Sacrificium, quod offerebatur ad obtinendam peccatorum remissionem: Unde & vocabatur *Sacrificium Propitiatorium*, in quo una pars comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum.

**Hostia pro peccato.** *Propitiatorium*, in quo una pars comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum.

14. **CONCL. IV.** Omnia Sacrificia tum Legis Naturæ, tum Mosaicæ, defactò coadunata sunt in uno Tremendo & Incruentato Missæ Sacrificio. Ita omnes Catholici; atque proficetur Ecclesia in Secretâ Missæ post Dominicam VII. Pentecostes, sic orans: *Deus, qui Legalium differentiam hostiarum unius Sacrificij perfectione sanxisti.* Uberius id ipsum docet Concilium Trid. Sess. 22. cap. 1. sic loquens: *Hec denique illa munda oblatio est, qua per varios Sacrificiorum, Naturæ, & Legis tempore, similitudines figurabatur; utpote qua bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.* Et de hoc Tremendo Missæ Sacrificio ex professo nunc agendum.

¶ (o) ¶

QUÆ-

# QUAESTIO II.

De Missa, & qua ratione in ea offeratur verum Sa-  
crificium ?

15. **A**dvertendum I. quod haec vox *Missa*, ejusque usus sit antiquissimus in Ecclesia : legitur enim tum apud S. Augustinum, S. Ambrosium, aliosque SS. Patres, tum in Concilio Romano sub S. Sylvestro Papa I. celebrato. Imò S. Ignatius, Antiochenae Ecclesiae tertius post S. Petrum Episcopus, & Martyr, in *Epist. 6. ad Smyrnenses*, jam hujus dictionis meminit. Porro quod Patres Latini Missam appellant, Graeci vocant *Litur- giam* : hoc est, *Ministerium, Sacrificiumque Altaris* ; uti notat *Covarruvias lib. 4. var. resol. cap. 22.*

*Missa, vox anti- quissima. Lurgia, quid ?*

16. Advertendum II. quod juxta usum Ecclesiae, communemque sententiam Fidelium, Missa accipitur pro collectione omnium actionum, quae sunt à principio Sacrosancti Eucharistiae Sacrificij usque ad finem ipsius, in quo Corpus & Sanguis Christi consecratur, & offertur. Unde ad propositum tria sunt distinguenda, videlicet ratio Sacramenti, Sacrificij, & Missae. *Ratio Sacramenti* consistit in eo, quod Eucharistia sit signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis ; prout amplius *Dist. prac.* declaratur. *Ratio Sacrificij* consistit in hoc, quod Christus in Missa incruentè immoletur, Patrique suo Caelsti offeratur ; idque essentialiter & principaliter fit in Consecratione, prout in progressu amplius ostendetur. *Ratio Missae* tandem complectitur cum confectionem Eucharistiae, seu Consecrationem, tum reliqua omnia sive antecedentia, sive consequentia ; ac proinde consistit in collectione eorum omnium, quae à principio usque ad finem ipsius peraguntur. Et ex his quidem substantialia à Christo Domino, utpote novae Legis Authore, instituta fuerunt : quoad totam verò actionem, atque ut Missa includit diversas Orationes & Cæremonias, ea est instituta ab Ecclesia.

*In Missa distinguuntur ratio Sacramenti, Sacrificij, & Missae.*

17. Advertendum III. quod olim tota ejusmodi actio videbatur in duas partes, videlicet in Missam Catechumenorum, & Missam Fidelium. *Missa Catechumenorum* durabat à principio Missae usque ad Offertorium exclusivè ; & fuit sic dicta, quia tamdiu, & non ulterà, Catechumenis interesse licebat. *Missa Fidelium* incipiebat ab Offertorio, & durabat usque in finem.

*Missa Catechumenorum, & Missa Fidelium.*

Ccccc 3 Et



Et ob hanc veterem Missæ divisionem, etiam defactò quandoque totum Officium solet dici in plurali *Missarum solemnità*; quamvis etiam Missa in singulari, sufficienter significet totam illam actionem sacram, quæ in Missa à principio usque in finem peragitur. His prænotatis, sit

In Missa offertur Deo verum Sacrificium.

18. CONCL. I. In Missa offertur Deo verum, ac propriè dictum Sacrificium. Conclusio est de Fide, ac definita in pluribus Concilijs, novissimè autem in Concilio Trident. *Sess. 22. can. 1. ibi: Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.*

Probatur Catholica Veritas,

19. Desumitur insuper hæc Catholica veritas, præter traditionem perpetuam, ac praxin Ecclesiæ jam à temporibus Apostolorum jugiter continuatam, ex illis verbis Christi, *Matth. 26. Hoc facite in meam commemorationem. Siquidem ly facite, æquivalet verbo sacrificare; juxta illud Levit. cap. 15. Sumet duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum; id est, sacrificabit, seu offeret unum pro peccato, &c. quales locutiones sæpius alibi in S. Scriptura reperiuntur. Accedit, quòd Christus Dominus, utpote Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Psal. 109. in ultima Coena Deo Patri verè sacrificaverit; ergo, cum illud ipsum Apostolis, eorúmque legitimis Successoribus, facere præceperit, etiam hi verè ac propriè sacrificabunt. Et hoc quidem fecisse Apostolos, eorúmque Successores, constat ex antiquissimis Lyrurgijs, plurimis Sanctorum Patrum testimonijs, & probatissimis historijs, de quibus Controversiæ, præsertim Bellarminus *lib. 1. de Missa.**

Missæ Sacrificium est incruentum, cujus principalis Hostia Christus,

20. CONCL. II. Missæ Sacrificium est incruentum, in quo præcipua & principalis Hostia est Christus Dominus; sive Corpus, & Sanguis ipsius. Ita omnes Catholici; &, omissis alijs probationibus, habetur expressè in Concilio Trident. *Sess. 22. cap. 2. ibi: In Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit. Et infra can. 2. Concilium definit, Christum ordinasse, ut Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum.*

Panis, & vinum, hostia minus principalis; & quomodo?

21. Dicitur notanter, *principalis Hostia est Christus.* Siquidem hoc non obstante passim fatentur Theologi, quòd etiam panis & vinum aliquo modo in Missa offerantur, sicque pertinent ad rem, quæ sacrificatur; prout liquet ex modo loquendi

Ec-

Ecclesiæ, quæ in Missæ Offertorio sic orat: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam Hostiam*, præsentando simul panem consecrandum. Et infra: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris*, elevando vinum. Cæterum substantia panis, & vini, est duntaxat Hostia minus principalis, & secundaria; atque eatenus in hoc tremendo Sacrificio offertur, quatenus ipsa est materia Consecrationis Eucharistiæ, & quæ totaliter convertitur, seu transubstantiatur in Corpus & Sanguinem Christi.

22. Insuper sciendum, quòd Christus in Sanctissimo Missæ Sacrificio offeratur, non quomodocunque, sed ut mediante transubstantiatione panis, & vini, in Corpus & Sanguinem suum, realiter contentus est sub horum speciebus; prout fatetur Concilium Trident. Sess. 22. cap. 1. ibi: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earum rerum symbolis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.* Christus itaque in hoc incruento Sacrificio non offertur, quatenus existit in cælis (sic enim nulla prorsus circa eum fit immutatio, ad rationem Sacrificij essentialiter requisita) sed quatenus vi Consecrationis, ac mediante transubstantiatione panis, ac vini, in Corpus & Sanguinem suum, ponitur atque existit sub eorum speciebus consecratis. Verùm pro majori dictorum intelligentia,

23. Objicitur contra præmissa. Ad verum, & propriè dictum Sacrificium requiritur aliqua destructio, aut immutatio rei oblatæ, sive ipsius Hostiæ: atqui in Missa non fit talis destructio, neque immutatio rei oblatæ, sive Hostiæ; nam Christus, qui dicitur esse Hostia principalis, neque destruitur, cum sit immortalis, neque aliâ ratione immutatur, cum sit impassibilis, atque incorruptibilis; ergo. Ad hanc, satis communem objectionem, plures sunt responsiones Theologorum, in hoc convenientium, quòd omnes quandam ex parte Hostiæ oblatæ destructionem, sive immutationem admittant (hæc enim omnimodis requiritur ad rationem veri Sacrificij) licet eam variè postmodum explicent.

24. Primò itaque nonnulli cum Lessio lib. 12. de Divinis Perfectionibus, cap. 13. n. 95. censent, ipsi Consecrationi convenire rationem actionis sacrificativæ, ac per ipsam Christum modo incruento mactari; & hac ratione incruentè immolari, quatenus per ipsam vi verborum Corpus Christi à Sanguine separatur, & vicissim Sanguis à Corpore. Siquidem vi verborum

Christus, quomodo in hoc Sacrificio offeratur?

Objectio notabilis, quomodo Hostia in Missæ Sacrificio immoletur &c.

Responsio, de mystica Sacramentali, & incruenta immolatione Christi,

rum



rum formæ Consecrationis, sub speciebus panis ponitur solum Corpus Christi; & vi verborum Consecrationis, sub speciebus vini solus Sanguis; sicque (non obstante, quòd reliqua concomitanter sub utrisque speciebus etiam ponantur) Christus mysticè, incruentè, atque sacramentaliter tunc mactatur, immolatur, atque immutatur. Unde in forma ad propositam objectionem respondent, distinguendo Minorem: In Missa non fit destructio, aut immutatio Hostiæ, physica & substantialis, transeat; non fit destructio, aut immutatio ejus mystica, incruenta, sive Sacramentalis: negant Minorem: & eodem modo distinctâ suâ probatione, negant Consequentiam.

Solvitur instantia, & declaratur magis hæc responsio.

25. Si dicas. Ad veram rationem Sacrificij non sufficit sola immutatio mystica, & sacramentalis. Resp. id quidem non sufficere ad Sacrificium cruentum, benè tamen ad Sacrificium incruentum, quale peragitur in SS. Missæ Sacrificio. Ad hoc quippe incruentum novæ Legis Sacrificium sufficit incruenta, mystica, & Sacramentalis illa immolatio Christi: quæ sit non quidem malleo, vel cultro materiali, sicut olim victimæ immolabantur, sed cultro verbi Dei: de quo dicitur ad Hebr. cap. 4. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti.* Nam vi hujus verbi Dei, seu vi verborum formæ Consecrationis in persona Christi prolatorum, reverà, quantum est ex vi verborum, sub speciebus panis solum Corpus Christi, & sub speciebus vini solus Sanguis ipsius ponitur: non obstante, quòd ob naturalem partium inter se connexionem, & concomitantiam, ipsamque unionem Hypostaticam, etiam aliæ partes humanitatis Christi, unâ cum Divinitate, sub utraque specie contineantur; hoc enim est per accidens.

II. Responsio, de moralis Christi mutatione.

26. Secundò alij respondent, distinguendo Majorem. Ad rationem Sacrificij requiritur destructio, sive immutatio Hostiæ, vel physica, vel saltem moralis, concedunt; semper physica, negant Majorem, conformiter dictis *num. 5. & 6.* Et eodem modo distinguunt Minorem. Siquidem in Sacrificio Missæ, licet Christus Dominus secundum suam humanitatem vi Consecrationis substantialiter non destruatur, adhuc tamen secundum eam moraliter immutatur, quatenus per Consecrationem Corpus Christi transfertur à statu suo naturali ad Sacramentalem, atque in usum cibi & potûs, longè diversum à statu suo naturali. Nam istud moraliter loquendo idem est, ac si fieret verus cibus; juxta quod idem Salvator, *Joan. cap. 6.* affirmabat: *Caro mea, verè est cibus;*

bus: & sanguis meus, verè est potus. Ita Lugo disp. 19. de Eucharistia  
scilicet. 5. & plures alij.

27. Tertio quidam volunt, Christum sacrificari ex eo, quia  
terminat realiter conversionem, seu transubstantiationem panis,  
& vini, in Corpus & Sanguinem suum, vi Consecrationis pera-  
ctam. Quia enim in Missa offertur panis & vinum, non quomo-  
docunque, sed ut vi Consecrationis totaliter convertitur seu tran-  
substantiatur in Corpus & Sanguinem Christi: hinc actio sacri-  
ficativa censetur consistere in hac physica conversione unius in  
aliud, ad quam etiam spectat Christus Dominus, veluti termi-  
nus ad quem dicitur conversionis. Et simile quid contingebat olim  
sub Lege veteri in oblatione thymiamatis, & thuris, ubi in pro-  
testationem supremi Dominij Dei, & subjectionis sacrificantis ad  
ipsum, una res convertebatur in aliam, videlicet thus, aut thy-  
miamam, in suavissimum suffitum.

III. Respon-  
sio de phy-  
sica conver-  
sione panis,  
& vini, in  
Corpus &  
Sanguinem  
Christi.

28. Si Dicas. Ex hac sententia videtur sequi, solum panem  
& vinum sacrificari (nam illud propriè sacrificatur, quod reali-  
ter immutatur) atqui hoc est falsum, & contra Concilium Tri-  
dent. num. 20. citatum: simulque absurdum; quia alioquin Ec-  
clesia haberet duntaxat Sacrificium inanime, ac vilius, quam ha-  
buerunt olim Hebræi; foretque figuratum minùs nobile, quam  
figura; ergo. Resp. negando sequelam, cum sua probatione.  
Etsi enim illud propriè offerri dicatur, quod destruitur, seu immu-  
tatur, quando non fit conversio unius in aliud: nihilominùs,  
si fiat talis conversio, tunc propriè ac principaliter illud offertur,  
quod per ejusmodi actionem potissimum intenditur. Unde, si  
principaliter intendatur destructio prioris rei per conversionem  
in aliam, tunc res conversa erit Hostia; prout accidit in combu-  
sione Holocausti, conversi in ignem, ubi non ignis, sed aries  
v. g. vel bos igne absumptus, censetur esse Hostia. Secùs autem  
erit, si tunc principaliter intendatur res illa, in quam fit conver-  
sio alterius, quia enim, ut illud incipiat esse, alterum desinit;  
etiam Deus magis intendit honorari, honoraturque per illam ac-  
tionem conversivam, ut ponit terminum ad quem, quam ut tollit  
terminum à quo: prout & in Lege veteri, dum thymiamam vel  
thus offerebatur, convertendo ipsum in suavissimum suffitum,  
potius Deo offerebatur, & sacrificabatur ejusmodi suffitus sua-  
vissimus, quam thymiamam vel thus. Igitur cum in Sacrificio Mis-  
sæ Christus, ejusque præsentia principaliter intendatur, conse-  
quenter in eo Hostia principalis erit Christus Dominus; non quo-

Obiectio  
contra hanc  
sententiam,

Ejusque  
notabilis  
solutio.

D d d d d

modo-

modocunque, sed ut contentus sub speciebus consecratis, ac veluti terminus *ad quem* principaliter intentus transubstantiationis, quæ divinitus accidit peractâ Consecratione. Quamvis eadem actione offeratur simul panis & vinum, secundariò tamen & concomitanter, quatenus est terminus *a quo*, & cuius desinitio intenditur propter aliud duntaxat, sicque minùs principaliter. Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 38. num. 13.* licet postea *lib. 12. de Divinis Perfectionibus cap. 13. num. 95.* amplexus sit primam sententiam *num. 24.* relata, tanquam faciliorem intellectu, magisque respondentem ordinario sacrificandi modo, qui supponit Hostiam, non producit.

### Q U Æ S T I O III.

Qui sint Offerentes Missæ sacrificium, & in quo consistat Essentia ipsius ?

Principalis offerens in Missæ Sacrificio, est Christus Dominus.

29. **C**ONCL. I. Principalis offerens Missæ Sacrificium, est Christus Dominus, quamvis illud offerat Sacerdotum ministerio. Ita omnes Catholici Doctores; & patet tum ex Concilio Florentino in Decreto Unionis, tum ex Tridentino *Sess. 22. cap. 2.* ubi docet: *Una est eademque Hostia idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Idem patet ex verbis Consecrationis, ubi Sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens, dicit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.*

Et quomodo ?

30. Cæterùm Christus dicitur offerens, & quidem principalis: tum quia Sacerdotum ipsùmque Missæ Sacrificium instituit: tum etiam, quia Sacerdos illud ex Christi ordinatione offert nomine, atque in persona ipsiusmet Christi Domini. Ipse siquidem Sacerdotes constituere dignatus est suos Ministros, & Vicarios, qui nomine, atque in persona sua, Patri Cælesti illud offerent Sacrificium; uti præter concordem SS. Patrum doctrinam, tenet Concilium Florentinum, & Tridentinum loc cit.

Sacerdos celebrans, est proximus Minister.

31. **C**ONCL. II. Sacerdos celebrans offert Missæ Sacrificium ut proximus Minister; cæteri autem Fideles etiam aliquo modo, minùs tamen propriè, dicuntur hoc Sacrificium offerre. Ita communis. Et quidem prima pars patet tum ex cit. Concilio Trid. ubi dicitur: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio.* Tum ex eo: quia Sacerdos est publicus Minister Ecclesiæ, ad hoc My-

ste,

sterium conficiendum consecratus, verusque Sacrificans; juxta quod Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, præcepit in ultima Cœna, dicens: *Hoc facite &c.* Quia vero Sacerdos, in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum, & Sacrificium; hinc Sacerdos non est principalis offerens, sed post Christum, qui est offerens principalis, proximus Minister.

32. Altera pars patet ex Canone Missæ, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Et infra: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ Familiæ tuæ.* Dicuntur autem alij Fideles hoc Sacrificium offerre dupliciter: primò, ratione quadam generalissimâ, & solum, quia sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine Sacerdos Deo offert Sacrificium istud. Secundo, ratione quadam magis speciali, in quantum scilicet speciali externo concursu ad ejus oblationem cooperantur, illud vel petendo, aut procurando per donationem stipendij, vel faciendo sub ipsa oblationem ad Altare, aut interveniendo Sacerdoti celebranti, vel saltem per devotam assistentiam seu præsentiam consentiendo in ipsum.

Et quomodo alij Fideles illud offerant?

33. CONCL. III. Certum est, quòd non omnes sacræ Actiones, quæ in Missa peraguntur, pertineant ad essentiam Sacrificij. Pleraque enim sunt piæ quidem, sed solum accidentales Cæremoniæ, Ritûsque sacri ab Ecclesia institui ex Apostolica disciplina, & traditione, quòd & Majestas tanti Sacrificij commendaretur, & Fidelium per hæc visibilia Religionis, & Pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur: prout loquitur Concilium Trid. cit. Sess. 22. cap. 5. Porro in quam parte Missæ consistat essentia Sacrificij, Quæstio remanet; pro cuius resolutione, sit

In Missa non omnes actiones pertinent ad essentiam Sacrificij.

34. CONCL. IV. Essentia Sacrificij Missæ consistit in Consecratione; & quidem probabilius in illa sola. Ita Herincx disp. 8. de Eucharistia, quest. 3. num. 42. Sannig disp. 5. de Missa, quest. 4. num. 5. cum communiori Theologorum; contra Bonacinam disp. 4. de Eucharistia, quest. ult. punct. 2. num. 1. dicentem, quòd partes essentielles Sacrificij Missæ sint Consecratio, Oblatio, & Sumpcio; & contra nonnullos alios, qui volunt, etiam Sumpcionem à Celebrante peractam, spectare ad essentiam Sacrificij Missæ. Ratio Conclusionis est: quia Sacrificium Missæ offertur, ac perficitur à Sacerdote in persona Christi, qui est principalis offerens,

Hujus essentia consistit in Consecratione.

D d d d d 2 ut

ut n. 29. dictum est : atqui Consecratio, eaque sola, fit à Sacerdote in persona Christi ; ergo sola Consecratio spectat ad essentiam ejus. Minor probatur : nam Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum, ut ait Concilium Florentinum in Decreto Unionis ; ergo. Hinc

In Parasceve non fit Sacrificium Missæ. Sumptio S. Hostiæ, non est de essentia ejus ;

35. Infertur I. Quòd Feriâ sextâ Parasceves propriè non fiat Sacrificium Missæ : quia ibi non fit nova Hostiæ Consecratio, sed sumitur duntaxat Hostia pridè consecrata.

Præsertim facta ab altantibus.

36. Infertur II. Quòd Sumptio Hostiæ seu Sacramenti, quæ fit à Sacerdote celebrante, non spectet ad essentiam Sacrificij Missæ, itriçtè loquendo ( hæc enim Sumptio non fit in persona Christi, sicuti Consecratio ) quamvis spectet ad ejus integritatem, & complementum : nam, ut dicitur c. Relatum. de consecrat. dist. 2. *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur ?*

Requiritur ad hoc Sacrificium Consecratio utriusque speciei.

37. Infertur III. Quòd multò minùs sumptio Sacramenti, quæ fit ab alijs altantibus, spectet ad essentiam Sacrificij Missæ : unde Concilium Trid. Sess. 22. cap. 6. & can. 8. approbat, & commendat Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat.

38. CONCL. V. Ad perfectam rationem Sacrificij novæ Legis requiritur Consecratio utriusque speciei ; idque ex Christi institutione, qui voluit in illo offerri Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, prout docet Concilium Trid. Sess. 22. cap. 1. Unde Rubricæ Missalis Tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, quantum ad propositum, sic habent : *Si Sacerdos ante Consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, præmittitur Missa ( quia videlicet sacrificium substantialiter necdum est inchoatum. ) Si post Consecrationem Corporis tantum, ante Consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desijt, & in casu, necessitatis etiam per non jejunum.* Et meritò : nam plùs urget præceptum Divinum de substantiali perfectione, atque integritate Missæ, quàm præceptum Ecclesiasticum de non sumendo Eucharistiæ nisi à jejunis.

Opposita sententia refertur, ac rejicitur.

39. Sunt quidem nonnulli Theologi, quos refert Barbosa in Collectaneis ad Concilium Trid. Sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 1. num. 26. qui volunt, posse Papam ex causa urgenti concedere, ut consecratio Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ in una specie fiat. Quia verò Concilium Trid. loc. cit. satis indicat, Con-

secrationem utriusque speciei esse de Jure Divino, dum *cit. cap. 1.* inter alia sic loquitur: *Christus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, ut sumerent, tradidit & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.* Hinc merito de hac quorundam sententia dubitatur, eaque probabilius & communiùs negatur.

## QUÆSTIO IV.

### De Effectibus Sacrificij Missæ.

40. **A**dvertendum cum Scoto *Quodlib. 20.* & communi Theologorum, quòd Missæ Sacrificium habeat duplicem vim, atque valorem operandi suos effectus, videlicet ex opere operantis, & ex opere operato. Prior valor promanat ex bonitate ipsius Ministri, ejusque proprio merito, atque devotione, quacum peragit hoc Sacrificium; prout id ipsum accidit in omnibus alijs pijs operibus, utpote quæ valent seu profunt ex opere operantis. Alter valor Sacrificij Missæ est ille, qui eidem ex Christi institutione, ejusque meritis, atque independentè à bonitate Ministri competit: juxta quòd Concilium Trid. *cit. cap. 1.* profitetur dicens: *Et hac quidem illa munda oblatio est (Malach 1.) quæ nulla indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest.* Unde sequitur, quòd Missæ Sacrificium profit ex opere operato, seu virtute ipsius Sacrificij, quatenus habet specialem valorem sibi peculiariter ex Christi institutione annexum, & quidem ultra omne meritum operantis, seu procurantis celebrationem Missæ, atque independentè à bonitate Ministri illud offerentis. Hoc prænotato, sic

Sacrificium Missæ habet valorem ex opere operato, & ex opere operantis.

41. **CONCL. I.** Sacrificium Missæ imprimis est Latreviticum, atque Evcharisticum. Ita communis; & patet ex Concilio Trid. *Sess. 22. can. 3* ubi inter alia dicitur, *Missæ Sacrificium esse laudis, & gratiarum actionis.* Siquidem Missæ Sacrificium dicitur *Latreviticum*, quatenus instar Holocausti offertur DEO in recognitionem suæ supremæ excellentiæ: ipsum quippe institutum est ad deferendum cultum Patriæ (qua ratione *Latreviticum* appellatur) soli DEO debitum. Verùm quatenus offertur in gratiarum actionem pro omnibus receptis beneficijs, præsertim Redemptionis nostræ, hac ratione Sacrificium Missæ vocatur

Est Latreviticum, ac Evcharisticum.

D d d d d

tur

tur *Eucharisticum*: *Eucharistia* enim latinè sonat *bona gratia*, sive *gratiarum actio*.

Est Propitiatorium, Satisfactorium, & impetratoriū.

42. CONCL. II. Insuper Sacrificium Missæ est propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium: ac proinde (præterquam, quòd sit Sacrificium laudis, & gratiarum actionis) triplicem habet effectum. propitiacionem videlicet, seu expiationem peccatorum quoad culpam; satisfactionem pro pœnis remanentibus ex peccatis quoad culpam jam dimissis; & impetrationem diversorum beneficiorum. Ita omnes Catholici; & habetur novissimè definitum in Concilio Trident. *Sess. 22. can. 3.* his verbis: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactoriis, & alijs necessitatibus offerri debere: anathema sit.* Idipsum fusiùs declarat cit. Concilium *cap. 2.*

Missæ Sacrificiū, quomodo sit propitiatorium?

Et peccata mortalia expiet?

43. CONCL. III. Missæ Sacrificium verè quidem est Propitiatorium; in quantum virtute ejusdem DEUS nobis sit placatus, & propitius; id est, moveretur ad deponendam justissimam iram suam & indignationem, quam ob nostra peccata concepit in ordine ad neganda uberiora gratiæ auxilia, quibus pœnitentiam agere, atque in ejus amicitiam redire, & peccatorum remissionem acquirere valeamus: nihilominùs effectum expiationis peccatorum mortalium quoad culpam non causat immediatè, sed duntaxat mediatè, ac dispositivè, impetrando videlicet specialia gratiæ auxilia, quibus homo disponitur, atque excitatur ad agendam veram de peccatis pœnitentiam, mediante qua per infusionem gratiæ sanctificantis immediatè remittuntur peccata. Ita communis Theologorum; & patet ex verbis Concilij Trid. *Sess. 22. c. 2.* ubi explicans modum, quo hoc Sacrificium nobis peccata remittit, sic loquitur: *Hujus quippe oblationis placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Quibus verbis apertè docet, Sacrificium istud non remittere peccata mortalia immediatè, pro ut faciunt Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ; sed tantum mediatè, impetrando nimirum à DEO gratias actuales pœnitentiam, quibus peccatores excitentur ad agendam veram pœnitentiam, sicque ad consequendam peccatorum remissionem virtute perfectæ Contritionis, vel Attritionis cum Sacramento.

44. Et conformiter dicitur inferitur, quod Missae Sacrificium per se, & immediatè, non causet gratiam sanctificantem, (alioquin enim immediatè deleteret peccata mortalia) neque augmentum ipsius: quia nemo recipit augmentum gratiae habitualis seu sanctificantis, nisi vel per proprium meritum, vel per dignam receptionem Sacramenti. Et hoc ipsum suadet differentiam inter Sacramentum, & Sacrificium: nam Sacramentum est primario & principaliter institutum ad nostram sanctificationem; Sacrificium verò immediatè refertur ad cultum DEI, & protestandam supremam eius excellentiam, & secundario solum ac veluti per quandam redundantiam, ad nostram utilitatem.

Per se ac immediatè non causet gratiam sanctificantem.

Differentia inter Sacramentum, & Sacrificium.

45. Concl. IV. Quod attinet alterum effectum ipsius, Missae Sacrificium dicitur esse Satisfactorium, & quidem tam respectu vivorum, quam respectu animarum in Purgatorio existentium, in quantum ex opere operato virtute ipsius aliqua poena, peccatis quoad culpam jam deletis correspondens, remittitur illis, pro quibus hoc Sacrificium applicatur. Unde Concilium Trident. loc. cit. ait: *Quare non solum pro Fidelium vivorum peccatis, poenis, Satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolicam traditionem offertur.* Et infra Sess. 25. in Decreto de Purgatorio, docet, *Animas in Purgatorio detentas Fidelium Suffragijs, potissimum verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari.* Et hic effectus satisfactionis infallibiliter confertur virtute Sacrificij Missae, dummodò is, pro quo Missa offertur, sit capax eiusdem; id est, indigeat aliqua satisfactione, nec ponat obicem peccati mortalis, neque sit actualiter in statu damnationis.

Missae Sacrificium, quomodo sit satisfactorium?

46. Concl. V. Tandem Missae Sacrificium est Impetratorium, in quantum habet virtutem impetrandi à DEO diversa bona, tum spiritualia, tum etiam temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt. Ita omnes Catholici; & patet ex perpetuo sensu, atque traditione Ecclesiae, ipsoque Concilio Trident. proximè allegato. Additur verò notanter, *bona temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt.* Quia effectus Sacrificij incruenti Missae nituntur meritis Sacrificij cruenti à Christo in Ara Crucis oblato: atqui Christus non promeruit nobis in Cruce bona temporalia, nisi quatenus conducunt ad spiritualia; nam bona temporalia secundum se praecise spectata, non sunt bona, imò saepe saepius homini mala & nociva.

Et quomodo impetratorium?



Effectus im-  
petrationis  
bonorum  
tempora-  
lium, an  
sic infalli-  
bilis?

47. Et hinc fit, quòd effectus iste Sacrificij Missæ, nimirum impetratio bonorum temporalium, non infallibiliter habeatur, ut experientiâ constat: neque enim illicò omnia nobis conceduntur, pro quorum impetratione leguntur Missæ; siquidem hujusmodi bona temporalia non semper conducerent ad bonum spirituale, & salutem animæ. Interim tamen credibile est, semper aliquid obtineri à DEO, neque sacrificium in vanum offerri, etiamsi non statim obtineatur illud in specie bonum temporale, pro quo obtinendo Missa offertur: potest enim DEUS, atque pro summa in nos pietate solet, vel ejus concessionem in tempus opportunius, nobisque salutarius differre; vel loco illius, quod petimus, aliud nobis elargiri longè conducibilius ad salutem animæ nostræ: ad hoc quippe concedendum videtur ipsum compellere sua infinita Liberalitas, Bonitas, atque Misericordia. (c)

(c) Con-  
cordat di-  
eta Tr. 5.  
Dist. 1. n.  
57. & 58.  
Valor Missæ  
ad placan-  
dum, satis-  
faciendum,  
ac impetrā-  
dum, non  
est infini-  
tus.

## QUÆSTIO V.

Quantus sit valor Sacrificij Missæ?

48. **C**ONCL. I. Valor, quem habet Missæ Sacrificium ex opere operato, sive ad placandum nobis DEUM, sive ad satisfaciendum, sive ad impetrandum, non est infinitus, sed finitus; non obstante infinitate satisfactionis, ac meritorum Christi, in quibus totus Missæ valor radicatur, & fundatur. Ita D. Bonaventura 4. dist. 45. art. 3. Scotus Quodlib. 20. cum suis & alijs communiter, paucis exceptis. Conclusio hæc potissimum suadetur ex communi sensu Ecclesiæ: nam si idem numero Sacrificium foret infiniti valoris, tunc frustra speciales numero Missæ legerentur pro specialibus hominum necessitatibus; imò unica Missa, utpote infiniti valoris, sufficeret ad exhauriendum totum Purgatorium; simulque posset quis per unius Missæ celebrationem satisfacere pro centum stipendijs à diversis hominibus datis: hæc autem omnia sunt absurda, & contra perpetuam praxin, ac sensum Ecclesiæ; ergo dicendum, quòd Missæ Sacrificium à nobis oblatum, non sit infiniti valoris.

Non obstā-  
te infinitate  
meritorum  
Christi.

49. Additur in Conclusionem, non obstante infinitate meritorum Christi. Quia valor ille, quem habet Missa ex opere operato, fundatur, ac desumitur ex Sacrificio cruento in Ara Crucis oblato per Christum, ac meritis ejus, quæ sunt infinita, ac sufficientia

tia pro redemptione infinitorum hominum, vel etiam Mundo-  
rum, si darentur: quamvis hæc infinita merita Christi, per in-  
cruentum Missæ Sacrificium finito, ac limitato duntaxat modo,  
juxta ordinatissimam DEI voluntatem, nobis applicentur. Et  
hæc de causa Barth. Gayantus *part. 2. Commentar. in Rubricas, tit. 8.*  
*num. 3.* valorem Missæ ait esse infinitum in radice, quatenus nem-  
pe radicatur in meritis Christi, quæ sunt infinita; sed ad impe-  
trandum, & ad alios suos effectus, finitum in terminis, quia fi-  
nitè de eo omnes participant.

50. Cæterùm ratio, cur per Missæ Sacrificium merita Chri-  
sti finito duntaxat modo nobis applicentur, alia non est, nisi vo-  
luntas, ac institutio Christi Domini, veri DEI & hominis, qui per  
hoc incruentum Missæ Sacrificium modo duntaxat finito voluit  
nobis applicare merita suæ Dominicæ Passionis, atque satisfa-  
factiones præstitas in Sacrificio illo cruento, quod ipsemet ob-  
tulit in Ara Crucis, se ipsum offerendo Patri suo Cælesti pro re-  
demptione totius generis humani.

Cur hæc per  
Missam fi-  
nito dunta-  
xat modo  
applicetur?

51. CONCL. II. Idem numero Sacrificium Missæ pro plu-  
ribus simul oblatum, minùs prodest singulis, ac si paucioribus,  
vel uni tantùm applicaretur. Conclusio hæc sequitur ex præ-  
cedenti: quia valor ille finitus, qui ex opere operato correspon-  
det Missæ, dividitur tunc in illos plures homines, pro quibus si-  
mul offertur, qui cæteroquin totus uni obveniret, si Missa pro u-  
no solo applicaretur.

Missæ pro  
pluribus  
oblata, mi-  
nùs prodest  
singulis.

52. Dicitur, *Sacrificium Missæ pro pluribus simul oblatum.* Nam  
si loquamur de Missæ Sacrificio, quatenus à pluribus offertur,  
nempe à pluribus Missæ inservientibus, vel devotè assistentibus  
(qui etiam suo modo dicuntur Missam offerre, juxta dicta *num.*  
*31. & 32.*) non minorem fructum exinde singuli referunt, quàm  
si ipsi soli essent. Ratio est: quia ejusmodi oblationes privatæ  
sunt distinctæ, ideòque eis distincti, ac proprii effectus corre-  
spondent, juxta propriam singulorum devotionem & capacita-  
tem. Et hoc ipsum suadet communis sensus Fidelium. Layman  
*lib. 5. tract. 5. cap. 1. n. 11. & alij.*

Quid de  
pluribus in-  
servientibus,  
aut assisten-  
tibus?

53. CONCL. III. Sacerdos, qui pluribus sive ob acceptum  
stipendium, sive ob aliam causam, est obligatus ad celebrandum,  
non satisfacit unicum Sacrificium Missæ pro omnibus offeren-  
do. Ita defactò tenendum pro certo, ob Decretum Urbani  
VIII. *De Celebratione Missarum*, quod incipit, *Cum sæpè contingat*  
(habeturque tom. 4. Bullarij Romani, *Constit. 45. dicti Pont.*) lebrez.

Sacerdos  
pluribus sti-  
pendijs non  
satisfacit, si  
unicam  
Missam ce-  
lebrat.

E e e e e

ubi

ubi §. 2. sub obtestatione Divini Judicij mandat, ac precipit, ut absolute non Missa celebrentur, quod ad rationem attributæ elemosynæ præscripta fuerint, ita ut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Concordat Decretum Alexandri VII. inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 10. damnantis: *Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificijs stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, dari stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Proinde

Ne quidem applicando uni fructu satisfactorium, & alteri impetratorium, aut partem fructus ejus specialissimam.

54. Inferitur I. Sacerdotem non posse pro una Missa duplex stipendium accipere, applicando uni fructum satisfactorium, & alteri fructum impetratorium; dum v. g. unus petit celebrari Missam pro Defunctis, alter pro infirmo. Nam, qui dat stipendium pro celebratione Missæ, censetur velle fructus omnes ipsius, quantum est capax.

55. Inferitur II. Non posse Sacerdotem licite pro una Missa duplex stipendium accipere, applicando uni petentium partem illam fructus, quæ ipsi sacrificanti competit. Siquidem hoc non modò sequitur ex dictis, sed rursus opposita sententia ab Alexandro VII. damnata est, dum is inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 8. rejecit: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem ejus specialissimam fructus ipsimet celebrantem correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Hæc, inquam, Propositio est damnata.

Fidelibus plus prodest, si Missas curent sibi celebrari in vita, quam post mortem.

56. Quæres, utrum Fideles majora sibi beneficia, fructumque uberiores cõparent, si Missas sibi curent celebrari in vita, quam post mortem? Resp. affirmativè, ut notat Barbosa in *Collectaneis ad Concilium Trid. Sess. 22. cap. 2. num. 11.* citans Fraxinellum, & Homobonum de Bonis. Ratio est: quia Missæ pro aliquo dictæ post mortem, solum sunt satisfactoriæ pro pœnis in Purgatorio adhuc luendis: at in vita pro aliquo celebratæ, non solum satisfactoriæ sunt, sed etiam propitiatoriæ, atque impetratoriæ, sicque juvant in vita & post mortem. Accedit illud D. Gregorij lib. 4. Dialog. c. 58. *Tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem sperat agi per alios, ipse dum vivit, per se exequatur: beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem querere.*

Si Missa duo sunt consideranda.

57. Quæres ulterius, utrum Missa mali Sacerdotis tantum valeat, quantum boni? Ubi notandum cum D. Thoma part. 3. *Quest. 82. art. 6. D. Bonaventurâ 4. dist. 13. art. 1. quest. 4. & communi*

muni Doctorum, quod in Missa duo debeant considerari, scilicet ipsum Sacramentum seu Sacrificium, quod est principale; & Orationes, quæ in Missa pro vivis atque defunctis fiunt; idque sive in persona totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est publicus Minister, sive in Persona Sacerdotis, ac prout secundum propriam ejus devotionem spectantur. Hoc prænotato,

58. Resp. I. Certum est, quod Missa mali Sacerdotis quoad substantialia, sive quantum ad Sacramentum, atque Sacrificium, non minus valeat, quam Missa boni Sacerdotis. Ratio est: quia utrobique idem conficitur Sacramentum, atque Sacrificium; & quidem nomine, atque in persona Christi Domini, qui est principalis Offerens; simulque Hostia. Unde D. Augustinus. *lib. de Corpore Christi*, inquit: *In mysterio Corporis, & Sanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote.* Et hoc ipsum etiam est intelligendum de fructu præcipuo Sacrificij Missæ, qui provenit ex opere operato, & quatenus illud offerretur in persona Christi: sic enim nihil omnino pendet à dispositione, & bonitate Ministri, juxta dicta n. 40.

Missæ mali Sacerdotis tantum valet, quantum boni, quoad substantialia, Et quoad fructum ejus ex opere operato.

59. Resp. II. Quatenus Sacerdos offert Missam, oratque nomine Ecclesiæ, non minuitur fructus impetrationis ob malam dispositionem Ministri celebrantis: quia etiam in peccatoribus manet ministerium, inquit Doctor Angelicus. Unde quantum ad hoc, non solum est fructuosa Oratio Sacerdotis peccatoris Missam celebrantis, sed etiam omnes aliæ ejus orationes, quas facit in Horis Canonicis, aliisque Ecclesiasticis Officijs, in quibus gerit personam Ecclesiæ. Excipe, nisi Minister sit excommunicatus non toleratus: quia per hunc non vult Ecclesia suas ad DEUM preces offerri, & consequenter nullam habent efficaciam, quatenus fiunt nomine Ecclesiæ.

Imò & quoad Orationes dictas nomine Ecclesiæ.

60. Resp. III. Orationes privatæ Sacerdotis mali, seu in statu peccati mortalis celebrantis, non sunt fructuosæ, nequidem secundum vim impetrandi pro alijs: ac proinde quoad circumadjacentia, sive annexa, hoc est, quoad Orationes, prout à Celebrante procedunt, plus prodeit Missa boni, quam mali Sacerdotis. Ratio est: quia Sacerdos malus celebrando, de novo peccat mortaliter; unde prout Celebratio Missæ ab ipso procedit, potius meretur vindictam, quam misericordiam. Huc quadrat dictum illud cæci nati, atque à Christo illuminati, de quo Joan. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

Secus quoad Orationes, prout à Celebrante procedunt.

## QUÆSTIO VI.

Pro quibus possit offerri Sacrificium Missæ?

Missa potest offerri pro vivis, atque defunctis; non verò pro damnatis.

61. CONCL. I. Missæ Sacrificium potest offerri tum pro vivis, tum pro Defunctis in Christo, nondum plenè purgatis; neutiquam verò pro damnatis. Ita communis. Et quidem prima pars constat ex dictis *num. 42. & 45.* Altera pars habetur *c. Pro obeuntibus. 13. q. 2.* ac ratio est: quia damnatorum desperata est redemptio. Et hoc intelligendum cum Glossa ibidem communiter recepta, quando evidens est, aliquem decessisse in peccato mortali; utputà cum quis se ipsum suspendit, præcipitat, vel alio modo occidit, *arg. c. Placuit. 23. q. 5.* Nam secùs est dicendum, si de hoc sit dubium; quia tunc oportet meliora de Proximo sperare.

Nequit offerri pro sanctis.

62. CONCL. II. Etsi Deo in honorem Sanctorum ritè offeratur Missæ Sacrificium, juxta dicta *num. 8.* nequit tamen illud offerri pro Sanctis. Ita habetur decisum *c. Marthe. §. Tertio loco de Celebrat. Missarum,* additâ hac duplici ratione. Tum quia *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Tum quia Sancti in cælis orationibus nostris non indigent; pro eo, quòd cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt.

Licet offeratur pro Fidelibus non excommunicatis, etiam peccatoribus.

63. CONCL. III. Certum quidem est, Missæ Sacrificium licet offerri pro Fidelibus non excommunicatis, etiam peccatoribus; illud tamen existentibus in peccato mortali non prodest quoad effectum satisfactorium, sed solùm, quatenus Sacrificium hoc est propitiatorium (modo *n. 43.* explicato) & impetratorium. Ratio est: quia Fideles in peccato mortali existentes sunt quidem capaces utriusque posterioris effectus, non verò effectus satisfactionis, seu remissionis pœnæ temporalis; cum ponant obicem peccati mortalis.

Secùs de excommunicatis vitandis,

64. CONCL. IV. Pro excommunicatis vitandis, seu non toleratis, nequit licet offerri Sacrificium Missæ, & peccat graviter Sacerdos, directè pro ipsis celebrans. Ratio est: quia Missæ Sacrificium offertur non solùm in persona Christi, sed etiam nomine Ecclesiæ: atqui Ecclesia prohibet, ne suo nomine, & publico Ministerio Ecclesiastico, pro excommunicatis oretur, aut Missa celebretur, donec fuerint absoluti; uti habetur *c. A nobis. 28. & c. Sacris de. Sent. excomm.* ergo.

65. Ad-

65. Additur notanter, pro excommunicatis non toleratis. Nam non pauci Doctores volunt, post Concilium Constantiense, atque Extravag. Martini V. Ad evitanda, pro excommunicatis toleratis, seu non vitandis, licitè posse offerri Sacrificium Missæ: utpote quibus defacto licitè communicamus in alijs Officijs Divinis, imò & pro ipsis presentibus publicè precamur in Choro, dicendo: *Misereatur vestri, Dominus vobiscum* &c. prout argumentatur Herincx disp. 8. de Missa, num. 64. citans Navarrum, Sà, Lugonem, & alios passim. Verùm, quamvis id licitè fiat, simulque tale Sacrificium prodesse valeat excommunicatis toleratis, quatenus offertur in persona Christi, non tamen ipsis proderit, quatenus offertur in persona Ecclesiæ; cum Pontifex in præfata Bulla expressè protestetur, quòd per hoc non interdicit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. (d)

Quid de excommunicatis toleratis?  
(d) Vide. antur dict. Tract. 13. Dist. 2. n. 26.

66. CONCL. V. Pro Infidelibus non baptizatis potest offerri Missæ Sacrificium per modum deprecationis, ut ad veram Fidem convertantur. Ita Bonacina disp. 4. de Eucharistia, quest. ult. punct. 5. num. 4. Herincx num. 59. Sannig quest. 7. num. 15. & alij. Ratio est: quia juxta Concilium Trident. num. 42. & 45. relatum, potest Missa offerri pro peccatis, & alijs necessitatibus: atqui Infidelitas est peccatum, & necessitas maxima. Accedit, quòd Sacrificium incruentum Missæ imitetur cruentum, olim à Christo in Ara Crucis oblatum; quod etiam non baptizatis profuit ad salutem animæ. Quinimò cap. Apostolicam. de Presbytero non baptiz. jubet Pontifex, quòd Missæ Sacrificium offeratur pro Presbytero non baptizato, qui in confessione nominis Christi decessit.

Potest offerri pro conversione Infidelium;

67. Cæterùm Mastrius disp. 19. Theol. Mor. n. 62. aliâ ratione hoc declarat, & citans communioem, & probabiliorem Doctorum, ait, posse quidem pro Paganis & Infidelibus (imò & Excommunicatis) Sacrificium Missæ indirectè offerri, non autem directè. Et quidem prior pars suadet ex eo, quòd defacto sic fiat, quoties Missæ Sacrificium Deo offertur pro incremento & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, vel tollendo ab ea Schismate, aut Hæresum extirpatione: nam quia hæc vel maximè fiunt per conversionem Infidelium, atque resipiscentiam Hæreticorum, Schismaticorum, aliorumque excommunicatorum; celebrando Missam juxta dictam intentionem, pro his pariter indirectè oratur, & celebratur.

Sive indirectè, non autem directè pro Infidelibus &c.



Et cur non  
directè ?

68. Altera pars probatur ex eo : quia Pagani, & Infideles, necdum sunt effecti membra Christi per Baptismum in re, vel saltem in voto susceptum : atqui Sacrificium Missæ non potest directè applicari, nisi pro membris Christi ; quia, ut inquit D. Augustinus lib. 1. De Anima & ejus orig. cap. 9. relatus à D. Thoma 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi ?* Idem delimitur ex ipsa praxi, & consuetudine Ecclesiæ, quæ quidem summo affectu, veluti pia Mater, Paganorum, aliorumque enumeratorum conversionem, & salutem exoptat ; nullam tamen pro ipsorum conversione Missam ordinavit (benè tamen pro tollendo Schismate, vel contra Paganos) neque preces aliquas pro eis dicendas instituit : dempro solo die Parasceves, quo propter speciale mysterium, & quia Christus Jesus eadem die pro suis persecutoribus in Cruce orare dignatus est, etiam Ecclesia pro Hæreticis & Schismaticis, Judæis & Paganis, publicè precatur. (e)

(e) Ut di-  
ctum Tr.  
13. Dist. 1.  
n. 17.

## Q U Æ S T I O VII.

### De Applicatione Missæ.

Missæ tri-  
pliciter pro-  
dest,

Specialissi-  
mè,

Generalissi-  
mè, &

Specialiter.

69. **A**Dvertendum cum Scoto *Quodl. 20.* & alijs, Sanctissimum Missæ Sacrificium (idem servatâ proportionem dicendum de Orationibus Fidelium, aliisque Justorum meritis, de quibus ex professo Doctor Subtilis *ibidem §. de primo*, hoc declarat) tripliciter valere, seu prodesse ; nimirum specialissimè, generalissimè, ac modo quodam medio seu specialiter. *Specialissimè* prodest solum ipsi celebranti Missam, seu aliud bonum opus peragenti, ac in statu gratiæ existenti : & hoc modo non videtur, id posse rectâ, seu ordinatâ voluntate alteri applicari ; quia quilibet tenetur magis seipsum diligere, quàm Proximum. *Generalissimè* prodest toti Ecclesiæ : neque enim Celebrans, vel orans, debet aliquem de Ecclesia excludere, sed ex intentione saltem habituali omnes includere ; uti patet ex Oratione Dominica, in qua singuli, ex Christi institutione orantes, dicimus : *Et ne nos inducas in tentationem, &c.* non verò, *Et ne me inducas in tentationem.* Et de hoc fructu generalissimo videtur David loqui Psal. 118. dicens : *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Tertio tandem modo, seu specialiter, prodest Missæ Sacrificium, vel aliud pium opus illi, cui specialiter per Celebrantem, vel orantem applicatur, v. g. Animabus in Pur-

Purgatorio, vel danti stipendium pro celebratione Missae: & hic solus fructus, nempe specialis, applicatur pro eo, pro quo offertur Missae Sacrificium.

70. CONCL. I. Sacrificium Missae specialiter prodest ijs, pro quibus offertur; attamen ad hoc, ut Sacrificium habeat suum effectum ex opere operato pro ijs, pro quibus offertur, necessaria est propria applicatio Sacerdotis celebrantis. Ita Herincx *part. 4. disp. 8. de Missa, quaest. 7.* Sannig *dist. 5. quaest. 6.* & alij. Ratio est: quia in hoc Tremendo Missae Sacrificio Sacerdos celebrans, & quidem solus, sustinet personam Christi; ergo sicut à solo Sacerdote celebrante in persona Christi Sacrificium pro alijs offertur, sic etiam ab eo solo fructus ejusdem applicatur. Idem desumitur ex forma Ordinationis cujuslibet Sacerdotis, qua eidem dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. pro vivis & defunctis*: & consequenter ab ipso pendet applicatio fructus eius.

Missa specialiter prodest ijs, quibus applicatur à Celebrante.

71. Infertur proinde I. Sacrificium Missae nemini applicatum, quoad fructum suum specialem nemini profuturum ex opere operato, sed fructum ipsius in Thesauro Ecclesiae remansurum. Intellige, si Sacerdos eundem ex certa scientia nolit neque sibi, neque alteri applicare. Si verò hoc accidat ex inadvertentia, videtur ex parte Celebrantis adesse tacita, & habitualis intentio applicandi sibi, aut certè alijs, pro quibus tenentur; qualis applicatio habitualis jam sufficeret, juxta dicenda n. 73.

Quid si nemini applicetur,

72. Infertur II. Etsi Sacerdos ex Voto, Justitia, Charitate, vel Obedientia obligetur, Missam applicare certis personis; validè tamen eundem posse Missam applicare alijs (etsi illicitè) quantumvis intentio & applicatio Superiorum, vel Ecclesiae sit in contrarium. Ita Herincx *loc. cit. n. 80.* Layman *cap. 2. n. 11.* Sannig *n. 11.* & alij communiter, contra Fraxinellum, qui, ut refert Gayantus *tom. 1. Comment. in Rubricas, part. 3. tit. 12. n. 18.* dicebat, Prælatum Regularem posse irritare intentionem subditorum in celebratione Missae, si hanc contra suam intentionem applicarent, ita ut valeat applicatio Prælati, & non subditi. Sed communis sententia ex eo probatur: quia applicatio Missae est actus potestatis Ordinis, quæ non dependet ex potestate Superioris Regularis. Unde, quamvis subditus peccet agendo contra Obedientiam suo Prælato debitam, ejus tamen applicatio non potest irritari per Prælatum: sicut à simili nequeunt irritari alia, quæ sunt annexa Ordini Sacerdotali, uti patet in intentione conficiendi Sacramenta.

Aut Celebrans eam applicet contra suam obligationem, vel voluntatem Superioris?



Applicatio  
Missæ, an  
sufficiat ha-  
bitualis ?

73. CONCL. II. Applicatio Sacrificij Missæ non necessario debet esse actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis; id est, actualis quondam habita, & nondum retractata. Ita communiter Doctores, paucis exceptis. Ratio est: quia per actualem intentionem olim habitam, ac necdum retractatam, Sacerdos jam donavit alteri fructum Sacrificij sui; qui proinde eidem, utpote vi donationis jam debitus, obveniet, supposito, quod sequatur Sacrificium, neque revocetur applicatio.

Et quando  
fieri debeat?

74. CONCL. III. Applicatio Missæ debet fieri, antequam Sacrificium sit perfectum, ac proinde ante Consecrationem, utpote in qua Sacrificium Missæ essentialiter consistit. Imò debet Sacerdos, præsertim quando accepto stipendio pro alijs celebrat, formare intentionem ante initium Missæ, ut etiam fructus precum, nomine Ecclesiæ peractarum, obveniat illis, pro quibus celebrat.

An sit licitum  
celebrare  
cum reser-  
vatione ap-  
plicationis?

75. CONCL. IV. Illicitum est, quòd Sacerdos, qui defacto non habet stipendium pro Sacro faciendo, celebret cum reservatione suæ applicationis, applicaturus ei, qui dato stipendio proximè Sacrum fieri postulabit. Ita communis. Ratio est: quia fructus Sacrificij non potest suspendi à Sacerdote, in cuius potestate non aliter est Sacrificij effectus, quam ipsum Sacrificium.

Vel Missam  
applicare  
proximè da-  
turo stipen-  
dium ?

76. Et ob eandem rationem neque licitum est, per modum anticipatæ solutionis ex nunc applicare fructum Sacrificij ijs, qui postea primò petent; aut celebrare ad eorum futuram intentionem, quam DEUS jam novit. Quinimò hæc praxis nonnullorum, tanquam periculosa, scandalosa, ac antiquissimæ Ecclesiæ consuetudini contraria, reprobata est à Congregatione Cardinalium 1605. ut refert Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 24. n. 12.*

Praxis opti-  
ma appli-  
candi Mis-  
sam,

77. CONCL. V. Loquendo de modo circa applicationem Missæ observandò, optimum est, atque in praxi consultissimum, ut Sacerdos applicet valorem Missæ juxta intentionem petentis, eique modo, quo debet ac potest, meliori prodesse intendat; interim tamen simul & sibi, & toti Ecclesiæ, prodesse velit eâ ratione, qua potest meliori, absque præjudicio tamen dantis stipendium. Ita Gavantus *tom. 1. Comment. in Rubricas, part. 2. tit. 8. n. 3.* Nam, ut benè considerantibus patebit, hoc modo fiet perfectissima applicatio Missæ, absque ullo cujusque præjudicio;

cum

cum Deus optimè noverit, si nùlque de fructu Sacrificij dare paratus sit cuique, quantum ipsi competit.

78. Deinde, quia quandoque contingere potest, ut is, pro quo sive ratione accepti stipendij, sive ex alio titulo quis est celebraturus, non sit capax fructus Sacrificij Missæ ( prout v. g. accideret, si anima Defuncti, pro qua legitur Missa, jam sit in cælo, vel ob sua delicta in inferno ) in quo proinde casu fructus specialis Missæ rediret in Thesaurum Ecclesiæ, si nulla alia adesset persona, cui ipse competeret, & applicaretur. Hinc ad istud evitandum optimè consulunt Doctores, ut fiat aliqua secunda intentio, seu applicatio, per quam si fructu Missæ non egeat, vel ejus incapax sit ille, pro quo applicatur, mox alij substituantur, quibus in tali casu fructus Missæ applicatus obveniat.

79. Sed quoniam nobis non certò constat, quibus in tali casu optimè possit, vel etiam debeat, fructus Missæ applicari: hinc consultum erit, ut generaliter eliciatur talis intentio, qua quis in ejusmodi casibus semper velit, tali secundâ intentione fructum Sacrificij Missæ illi, vel illis applicare, cui, vel quibus Deus novit, hic & nunc præ cæteris magis debere illum applicari, ac ut applicetur, DEO gratius fore. Nam, cum ad applicationem Missæ sufficiat intentio non solum actualis, & virtualis, sed etiam (f) habitualis, ejusmodi intentio generalis pariter sufficiet: potestque practicari absque ulla animi perturbatione, & anxietate.

80. His addendum pro solatio spirituali Sacerdotum devotè celebrantium, cum Gavanto cit. tit. 8. num. 3. certum esse, quòd Sacerdos dignè celebrans in majori quantitate participet de fructu & valore Missæ, quàm quilibet alius, qui eundem celebrare jubet, vel dato stipendio procurat. Et hoc tum ex ministerio proximiori: tum ex majori fide, ac devotione, quæ sub devota Celebratione multipliciter excitatur: tum ex ipsa digna Sacramenti Eucharistiæ perceptione.

## Q U Æ S T I O VIII.

De Obligatione celebrandi Missam, quam ex varijs Titulis habent Sacerdotes.

81. **A**Dvertendum, quòd generatim Sacerdos ex varijs Titulis obligari possit ad celebrandam Missam. I. Ratione suscepti sacri Ordinis Sacerdotalis. II. Ratione Curæ

Expedi etiam facere secundam intentionem.

Et quomodo?

(f) Ut dicitur etiam num.

73. Dignè celebrans plus participat de fructu Missæ, quàm alij.

Sacerdos ex varijs Titulis potest ob-  
Curæ

ligari ad ce-  
lebrandum.

Curæ animarum, quam habet. III. Ratione, Beneficij seu Ca-  
pellaniæ, cui ex primæva Fundatione annexum est onus celebra-  
di certas Missas, in Litteris Fundationis præscriptas. IV. Ratio-  
ne recepti stipendij, seu elemosynæ, pro Missâ celebranda por-  
rectæ; non enim tenetur Sacerdos, quamvis sit dives ac opu-  
lentus, ultrò Missam pro alijs celebrare; sed licitè stipendium  
sui ministerij, juxta consuetudinem laudabilem cujuslibet loci,  
recipere; idque pro sustentatione congrua vitæ suæ, juxta illud  
Salvatoris, Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* & alibi. Hoc  
prænotato, de singulis procedit præfens Quæritio: ad cujus reso-  
lutionem, sic

An. & quo-  
ties per an-  
num cele-  
brare tenea-  
tur?

82. CONCL. I. Simplex Sacerdos peccat, & quidem juxta  
plures Doctores (quorum sententiam Sannig *loc. cit. quest. 8. n. 1.*  
censet probabiliorem) mortaliter, si cessante justo impedimen-  
to nunquam celebret toto anno: tenetur enim saltem ter, vel  
quater in anno, in Festis præsertim Solemnioribus, celebrare.  
Probatum hoc ex Concilio Trident. *Sess. 23. cap. 4. de Reform.* u-  
bi dicitur: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, &*  
*Festis solemnibus, si autem curam habeant animarum, tam frequenter, ut*  
*suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Accedit c. *Dolentes, de Celeb.*  
*Miss.* ubi graviter reprehenduntur ij, qui Missarum Solemnia vix  
celebrant in anno.

Curatus,  
quibus die-  
bus celebra-  
re debeat?

83. CONCL. II. Sacerdos Curatus per se, vel per alium,  
omnibus illis diebus tenetur celebrare, quibus Plebs sibi subjecta  
ex præcepto Ecclesiæ tenetur Missam audire. Ita communis:  
& patet tum ex citatis verbis Concilij Tridentini, tum ex ipsa ra-  
tione Curæ animarum: nam aliàs non posset Populus implere  
præceptum de audienda Missa.

An tunc te-  
neatur Mis-  
sam appli-  
care pro Pa-  
rochianis?

84. Num autem omnibus dictis diebus teneatur Sacerdos  
Curatus applicare Missam pro Populo, quæritio non modica est,  
eò quòd Concilium Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 1.* sic dicat:  
*Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum com-*  
*missa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, &c.* Quibus  
verbis Concilium videtur agnoscere præceptum Divinum cele-  
brandi, Missamque applicandi pro suis Ovibus, ex parte ipsius  
Parochi, seu Curati.

Resolutio.

85. Resp. Licet Sotus *lib. 9. de Justitia, quest. 3. art. 1.* arbi-  
tretur, Parochum non solum obligari celebrare Missam, ut eam  
subditi audire valeant, sed etiam hanc pro ipsis offerre: com-  
muniortamen sententia negat, talem obligationem ipsi incumbere

beratione muneris sui ; nisi forsan ex Fundatione , Consuetudine , Lege Diœcesanâ , Pacto , aut alio hujusmodi Titulo , specialis obligatio habeatur. Ita Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 3. n. 3.* Herincx *disp. 8. de Missa , quæst. 9. num. 95. & 96.* Sannig *dist. 5. quæst. 8. num. 3.* Suarez , & alij. Ratio est. Quia Beneficia curata propriè sunt instituta ad pascendum Populum verbo , & Sacramentorum administratione , non item ad semper applicandam Missam pro ipso ; nisi secùs habeatur ex Fundatione , vel alio speciali Titulo. Deinde non plùs viderur evincere citatus textus Concilij Trident. nisi quòd Sacerdotes Curati teneantur pro Oribus suis Sacrificium offerre , celebrando saltem diebus , quibus urget præceptum audiendi Missam , ut sic Parochiani possint Missam audire , eique devotè assistendo , de fructibus ipsius participare : nam diversæ sunt obligationes. ad celebrandum , & ad applicandum pro Parochianis Missæ Sacrificium ; ab una autem obligatione non est facienda extensio ad aliam.

86. Fatendum tamen , quòd his non obstantibus Barbosa *part. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 24. num. 23.* & amplius *part. 1. de officio Parochi , cap. 11. num. 10.* verius esse putet , Parochum teneri Missæ Sacrificium pro suis Oribus applicare aliquoties , juxta boni viri arbitrium. Idem censet Gobat *tract. 3. Theol. Experim. num. 493.* additque , istud boni viri arbitrium esse ferendum attentâ copiâ vel inopiâ reddituum , magnâ aut parvâ necessitate Parochianorum. Notat etiam Layman *cit. num. 3.* quòd lex Charitatis , ac æquitatis ratio suadeat , ut Pastores ordinarij , videlicet Papa , Episcopus , Parochus , & Prælatus Regularium , pro suis subditis DEO intra , & extra Sacrificium , frequenter supplicent , & aliquando etiam pro eisdem illud offerant.

Sententia merito practicanda.

87. CONCL. III. Capellanus , seu Beneficiarius , ex justitia sub mortali culpa est obligatus ad illum Missarum numerum , quem Litteræ Fundationis requirunt. Ita communis ; & patet ex natura ipsius Fundationis Beneficij , ad cujus onera Beneficiarius illud acceptans sese obligavit. Circa hoc tamen

Beneficiarius , quoties teneatur celebrare ?

88. Notant I. Doctores , ac inter eos Navarrus *lib. 2. de Re. sit. c. 2. num. 210.* Lugo *disp. 21. de Eucharist. num. 49.* Sannig *num. 5.* & Layman *num. 7.* quòd si ejusmodi Beneficiarius , ad certum Missarum numerum singulis hebdomadibus dicendum obligatus , ad breve tempus infirmeretur , utputâ unâ , vel alterâ hebdomadâ ( aut juxta cit. Laymanum , & Lugonem , uno

Quid , si infirmeretur ad tempus ?

fffff 2. m. 1.

mente) præsumendum sit, Fundatorem, & Ecclesiam, non intendisse tam arctam obligationem, ac proinde talem non teneri ad recompensationem: nam etiam dominus temporalis, tamen iure detrahere posset de mercede famuli ob ejus infirmitatem (ut multi volunt, *arg. l. Si uno §. Item eum. ff. Locati*) si tamen pius & benignus est, detrahere non solet.

Beneficiarius, qui quotidie celebrare tenetur, an possit quandoque abstinere?

89. Notant II. Doctores, quòd si Fundatio exigat quotidianum Sacrificium in certo loco, v. g. in determinata Ecclesia, vel Altari peragendum, sicque obligatio principaliter habeatur ratione loci, v. g. ob majorem ejus reverentiam, vel commoditatem Populi: tunc tenetur Sacerdos, tale onus Missarum quotidie ibi celebrandarum in se habens, ibidem quotidie celebrare, vel per se, vel per alium substitutum, juxta Fundationem ipsi loco impositam. Si verò talis obligatio quotidie celebrandi sit ipsimet personæ Capellani, seu Beneficarii imposita, tunc arbitrantur, ob reverentiam Sacrificij, majorémque devotionem in se excitandam, aut aliâ justâ de causâ, posse eundem quandoque abstinere, etiam semel in hebdomada *arg. c. Significatum, de Præbend.* ubi de obligato ad quotidie celebrandum dicitur, eum teneri quotidie extra casum infirmitatis celebrare, *salvâ honestate suâ, & debitâ devotione.* Nam propter plurimos mundanos casus contingit nonnunquam, debitam impediri devotionem.

Aut pro alia intentione celebrare?

90. Non tamen hinc sequitur, quòd is, qui titulo honestatis, majorisque devotionis, potest semel in hebdomada à Missa abstinere, possit etiam semel Missam alibi, vel pro alia intentione celebrare. Nam hæc sunt omninò diversa: atqui ex diversis non valet illatio. Dicendum proinde, quòd obligatus ad quotidie celebrandum juxta certam intentionem, etsi advertens, se esse minus dispositum, possit quandoque ob causam honestatis, debitæque devotionis, abstinere (ad summum semel in hebdomada) tamen eo die nec pro se, nec pro alio, neque alibi celebrare valeat; aut si celebraturus est, teneatur Missam applicare juxta præscriptam Fundatoris intentionem, vel saltem hanc per alium celebrandam curare. Bonacina *disp. 4. de Eucharistia, quest. ult. punct. 7. §. 2. num. 16.* Sannig *dist. 5. de Missa, quest. 8. n. 5. & alij.*

An satisfaciatur anticipando Missas?

91. Notant III. Capellanum, qui ad celebrandum in determinato loco aliquot per hebdomadam diebus obligatus est, per se loquendo, ac nisi aliud exprimat, posse satisfacere, si  
anti;

anticiper præcedenti hebdomadâ ibidem celebrando: eò quòd non defraudet intentionem Fundatoris, utpote qui (nisi aliud expresserit) videtur exigere certum duntaxat Missarum numerum tempestivè persolvendum. Additur tamen, *per se loquendo* &c. Quia si in Litteris Foundationis contrarium exprimitur, specialiter statuendo, quòd v. g. ob commoditatem devotionemque Populi, aut reverentiam Loci sacri, in nulla hebdomada Missæ prætermittantur, non licebit eas anticipare: mens enim iusta Fundatorum, tanquam lex specialis, adimplenda est. Bonacina *ibidem*. §. 5. *num.* 4. Sannig *num.* 8. Navarrus, & alij.

92. CONCL. IV. Qui ex titulo Foundationis, vel ex convention- Obligatus ad celebrandum in certa Ecclesia, vel Altari celebrare, non potest absque peccato alibi celebrare; nisi hoc fiat ex iusta, & rationabili causa. Ratio est: quia rationabilis, piâque voluntas Fundatoris, vel dantis elemosinam pro celebratione Missæ, est adimplenda; quod alioquin non fieret.

93. Dicitur notanter, *nisi hoc fiat ex iusta causa*. Nam si hoc accidat ob legitimum impedimentum, v. g. ob profanationem Ecclesiæ, inundationem aquarum, aut quia Sacerdos bonâ fide exiens à Sacrificia invenit Altare jam occupatum ab alio Celebrante, & huiusmodi, nullum committitur peccatum.

Et quamvis obligatio celebrandi in loco determinato, ex genere suo sit gravis: adeò, ut juxta Bonacinam *cit. punct.* 7. §. 4. *num.* 2. & alios, alibi celebrans peccet mortaliter: nihilominus rectè notat Herincx *disp.* 8. *de Missa, quest.* 15. *num.* 185. hic etiam locum habere levitatem materiæ, utpote si rarò mutetur locus, v. g. bis vel ter in anno, vel etiam semel aut bis in mense, dum quis debet quotidie celebrare. Insuper faciliùs excusari potest celebrans in alio Altari ejusdem Ecclesiæ, quàm si celebret in diversa Ecclesia; utpote minùs recedens à voluntate Fundatoris. Lugo *disp.* 21. *de Eucharistia*, n. 36.

94. His adde, quòd, quamvis Sacerdos extra præscriptam Ecclesiam, vel Altare, contra voluntatem Fundatoris, vel dantis stipendium celebrans peccet, ut dictum: nihilominùs sit probabiliùs, talem non teneri ad restitutionem, aut novam celebrationem Missæ. Bonacina *cit.* §. 4. *num.* 5. cum alijs. Siquidem talis Celebrans, etsi peccaverit, non tamen fraudavit Fundatorem, vel dantem stipendium, fructu ipsius Sacrificij.

F f f f f 3

25. Con-

Nequit Sa-  
cerdos Mis-  
sam alij le-  
gendam da-  
re, retentâ  
parte sti-  
pendij.

95. CONCL. V. Non est licitum Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam sub certo stipendio, eandem Missam alteri parte illius stipendij sibi retentâ, celebrandam committere. Ita habetur in Decreto Urbani VIII. *De Celebratione Missarum* (de quo jam num. 53.) ubi §. 4. hoc fieri prohibetur, *ut omne damnabile lucrum ab Ecclesia removeatur*. Unde oppositam nonnullorum sententiam Alexander VII. denuò rejecit, inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 9. damnando: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere: collato illi minori stipendio aliâ parte stipendij sibi retentâ*. Et hæc Conclusio procedit etiam in casu, quo cuiquam Sacerdoti offertur elemosyna solito major pro celebratione Missarum: nam debetis absolutè integram elemosynam tribuere alteri Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere potest; prout declarârunt Cardinales, *Respondendo ad 10.* quorum Declarationes habentur additæ post cit. Decretum Urbani VIII. in Bullario Romano.

Limitatur  
hoc in cer-  
tis casibus.

96. Cæterùm hoc Decretum non habet locum in Beneficij: unde satis est, quòd Rector Beneficij, qui potest Missam celebrare per alium, tribuat elemosynam congruam secundùm morem patriæ, nisi secùs caveatur in Fundatione Beneficij; prout declarârunt ijdem Cardinales, *ad 8.* Et meritò: nam Beneficij habent suum stipendium non præcisè ratione Missarum, sed etiam propter alia onera Beneficio annexa, cui specialiter obligati sunt deservire, atque intuitu ipsius recitare Horas Canonicas; unde non mirum, quòd residuum ex redditibus Beneficij sibi retinere possint. Hoc ipsum dicendum videtur de Capellano, habente salarium stabile instar Beneficij: cum similiter sit obligatus ad alia onera Capellanix. Insuper dictum Decretum non tangit illos, qui pinguius stipendium accipiunt per modum elemosynæ, tanquam à speciali amico, vel benefactore, uti notat Sannig *cit. distinct. 5. quest. 9. num. 5.* Aut quando alter Sacerdos spontè in se suscipit sacrificandi obligationem, parte stipendij condonatâ. Layman *loc. cit. num. 14.* Nam quilibet potest cedere jure suo, vel favorem specialem cuiquam exhibere.

Peccat mor-  
taliter qui  
est notabili-  
ter in mora  
celebrandi.

97. CONCL. VI. Sacerdotes, qui sunt notabiliter in mora celebrandi Missas debitas, peccant mortaliter. Ita Herinx *disp. 8. de Missa, quest. 15. num. 181.* Bonacina, & alij passim. Ratio est: quia potest contingere, ut dans stipendium pro celebra-  
tione.

tione Missæ, fraudetur fructu ipsius; uti accideret, si Missa pe-  
 catur celebranda ad impetrandum aliquid à DEO, & Missa di-  
 catur jam elapso tempore necessitatis; vel petatur Missa ad im-  
 petrandam infirmo sanitatem, aut pro anima Defuncti, & illa  
 primùm legatur, postquam obiit infirmus, aut anima ex Pur-  
 gatorio post gravissimas pœnas jam est liberata. Quinimò (ad Et tenetur  
 dunt Doctores) in tali casu tenetur Sacerdos ad restitutionem, ad restitui-  
 tionem.  
 Et hinc Urbanus VIII. in citato Decreto, *De Celebratione Missarum*,  
 §. 8. providè statuit, quòd *elemosynas manuales, & quotidianas ita de-*  
*num Sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint,*  
*ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hu-*  
*iusmodi elemosynis, etiam spontè oblati, in futurum recipiendis.* Hæc  
 ibi.

98. Dicitur, qui sunt notabiliter in mora celebrandi. Nam in-  
 primis Declaratio Cardinalium ad dictum Decretum Urbani VIII. Quid, si ad  
 Respondendo ad 11. excipit casum, quando *infra modicum tempus po-* modicum  
 teit omnibus oneribus Missarum satisfieri: modicum autem tempus dif-  
 tempus (ait Herincx *num. 182.*) valdè credibile censetur esse ferantur?  
 tempus unius mensis, aut etiam duorum mensium, imò nonnul-  
 lid extendunt ad tres menses.

99. Deinde citata Declaratio Cardinalium, Respondendo Aut dans  
 ad 12. excipit casum, si tribuens elemosynam pro aliarum Missarum ce- stipendium  
 lebratione sciat, & consentit, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis o- consentiat?  
 neribus satisfactum fuerit: nam tunc, juxta benefactoris consen-  
 sum poterit Missarum celebratio differri.

100. CONCL. VII. Sacerdos, qui stipendium accepit, te-  
 netur dicere Missam, sicut offerens petivit, videlicet Missam ta-  
 lem, aut talem Votivam, vel Missam de Requiem; nisi obstet-  
 Ritus Ecclesiæ. Prima pars probatur ex eo: quia alioquin vir-  
 tus Fidelitatis violaretur; simulque potest contingere, quòd ob-  
 specialem offerentis devotionem, nec non speciales Missæ Ora-  
 tiones, maior fructus impetrationis eidem proveniat. Altera  
 pars ex eo liquet: quia Sanctæ Matris Ecclesiæ voluntas, & or-  
 dinatio, prævalere debet voluntati privatorum Fidelium; eò præ-  
 fertim, quòd hi non intendant, nec rationabiliter possint inten-  
 dere, contravenire Ritui Ecclesiæ.

101. Hinc, quia Rubricæ Missalis, Tit. *De Missis Votivis, & Mis-* Quid de  
 sis Defunctorum, prohibent, dici tales Missas in Festis Duplicibus, Missis Voti-  
 ac diebus Dominicis; non est dubitandum, quin satisfiat inten-  
 tionibus



Requiem  
in Festis  
Duplici-  
bus?

Et Indul-  
gentijs Al-  
tarium Privi-  
legiatorū?

Obligatio  
celebrandi  
Missam ra-  
tione sti-  
pendij qua-  
lis?

Unicam  
Missam  
omittens,  
an peccet  
mortaliter?

tioni petentium celebrando Missam de Festo Duplici occurren-  
te cum applicatione ad intentionem petentis, & non Missam vo-  
tivam, vel de Requiem. Hoc idem, loquendo de Missis privatis  
de Requiem (secus est de Anniversariis, ac Missis cantatis) no-  
vissime declaravit, ac fieri mandavit Alexander VII. anno 1662.  
simulque tum ipse in speciali Decreto, 1664. tum Clemens IX.  
in alio, die 23. Septembris 1669. emanato, quod incipit: *Cum sal-  
record.* (& habetur tom. V. Bullarj Romani, *Constit. 39. disti Pont.*)  
concessit, atque declaravit, per Missam de Festo occurrente dictis  
diebus celebratam pro Defunctis, lucrari Indulgentias Altarium  
Privilegiatorum pro Animabus in Purgatorio: de quo antea fue-  
rat magna difficultas inter Doctores, qui communiter senten-  
tiam negativam tenuerunt.

102. Quæres, qualis sit obligatio celebrandi Missam ratione  
stipendij? Resp. I. Certum est, quod hujusmodi obligatio sit  
de genere Justitiæ, habens annexum onus restitutionis, si non  
adimpleatur: alioquin enim talis injustè retineret stipendium.  
Et hujusmodi obligatio indubiè ex genere suo est gravis, atque  
sub mortali.

103. Resp. II. Num peccet mortaliter, qui accepro stipen-  
dio unam duntaxat Missam scienter omittit celebrare, variant  
Doctores. Et quidem, talem peccati mortalis reum, censet  
Mastricht *disp. 19. Theol. Mor. num. 80.* citans Petrum Navarrum,  
Bonacinam, & alios; eò, quod damnum spirituale, per privatio-  
nem debiti fructus Missæ illatum, sit admodum grave. Econtrà  
negativam sententiam sequuntur Herincx *cit. disp. 8. num. 180.*  
Sannig *quest. 9. num. 10.* Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 5. num. 25.* &  
quidam alij: quia censent, esse parvitatem materiæ in una dun-  
taxat Missâ omisâ: neque enim hic attendendum, ajunt, ad dam-  
num spirituale (alioquin enim omittens recitationem unius Salu-  
tationis Angelicæ, ad quam tenebatur, peccaret mortaliter; cum  
damnum spirituale ex tali omissione sequens, anteferatur cuilibet  
temporali) sed gravitas materiæ mensuranda est juxta gravi-  
tatem, seu quantitatem stipendij; quale pro unica Missâ datum,  
communiter non attingit quantitatem sufficientem  
ad peccatum mortale, ut patet  
in furto.

QUÆ.

Q U Æ S T I O IX.

De Tempore celebrandi Missam.

104. **C**ONCL. I. Tempus ordinarium celebrandi Missam incipit ab aurora, & terminatur in meridie, sive hora diei duodecima. Ita communis; & patet ex Rubricis Missalis, Tit. De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus; ubi dicitur, quod tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter.

Tempus celebrandi Missam, quale?

105. Cæterum per *Auroram* non intelligitur ortus Solis, sed prima solis irradiatio, quando nempe aliquid lucis apparet. Et licet crepusculum hoc non semper, & ubique locorum sit æquale. ordinariè tamen solet incipere horâ & quadrante vel sesqui horâ ante ortum solis.

Per Aurorâ, quid intelligatur?

106. Notandum ulterius cum Doctoribus passim, quod hæc res moraliter potiùs, quam mathematicè sit consideranda. Hinc inferunt, posse Missam inchoari duabus horis ante ortum Solis, ita ut circa initium auroræ finiatur. Quinimò tempore hyemalino recepta consuetudo in partibus Septentrionalibus obtinuit, quod Missa tribus vel quatuor horis ante Solis ortum celebretur, eo præsertim tempore, quo communiter homines sese labori suo manuali solent accingere. Siquidem hæc consuetudo iustâ de causâ est introducta, ut in hisce partibus, quibus in hyeme Sol serò oritur, operarij & famuli priùs Missæ Sacrificium audire possint, antequàm ad suas operationes sese accingant. Layman cap. 4. de Sacrificio Missæ, num. 3. & alij.

Est moraliter, non mathematicè consideranda. Et attendenda consuetudo de hyeme.

107. Insuper, quamvis ordinariè non sit licitum sacrificare post meridiem ut patet ex Conclusionè; adhuc tamen satis est ad evitandam culpam, si Missa inchoetur ante meridiem, vel in meridie, licet postea primùm finiatur. Quinimò ex causa iusta potest Missa inchoari etiam post meridiem, utputà ne infirmus sine Viatico decedat, aut propter Principis funus; vel si Sacerdos, diebus præsertim Festivis post meridiem ad locum Ecclesiæ perveniens celebrare velit &c. Herinex cit. disp. 8. quaest. 10. Layman, & alij.

Quid de meridie?

108. Notandum prætereà, Regularibus Mendicantibus varia privilegia à SS. Pontificibus concessa esse celebrandi unâ horâ ante auroram, & unâ post meridiem, imò etiam usque ad horam

Et privilegia Regularium?

Gggggg

ram

ram nonam; id est, horam tertiam vespertinam; uti refertur in Compendio Privilegiorum, §. *Missæ*.

An sit licitum,  
quod cotidie  
celebrare?

109. CONCL. II. Licitum est cuilibet Sacerdoti ritè disposito quotidie celebrare, exceptis tribus postremis diebus Hebdomadæ Sanctæ. Prior pars est certa, & patet ex *c. Consulvisti. de Celebrat. Missar.* & praxi Ecclesiæ universalis. Altera pars ex eo probatur: quia in primis Feriâ sextâ Parasceves omninò prohibitum est, celebrare Missam; cum eo die, ob memoriam illius Sacrificii cruenti, quo Christus Dominus semetipsum Patri Cælesti hac die pro salute totius Mundi in Ara Crucis offerre dignatus est, non fiat Consecratio; Sed à Sacerdote Actum consuetum perficiente, juxta Ritus Ecclesiæ, solum sumatur Sacra Hostia pridie consecrata.

Quid de Feria V. Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto?

110. Porro Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto, una duntaxat Missa Solemnis celebrari solet, juxta traditionem, & consuetudinem Ecclesiæ. Verum quidem est, multos Doctores, ut Suarezium, Sotum, Barbosa, Lugonem, quos citant, & sequuntur Layman *loc. cit. num. 8.* & Gobat *tract. 3. Theol. Experim. num. 219. & seqq.* existimare, quòd non sit prohibitum, Sabbato Sancto privatim, ac secluso scandalo, post Officium Solemne celebrare: cum nullo jure hoc prohibitum reperiat. Et hoc ob datam rationem, ac loquendo de Celebratione privata ante Officium Solemne, multò magis admittunt Doctores de Feria quinta Cœnæ Domini: quamvis communiter hac die Sacerdotes de manibus sui Prælati, Missam Solemnem celebrantis, Sacram Communionem more Laicorum sumere soleant. exemplo Apostolorum, qui isto die de manu Christi Eucharistiam acceperunt.

Non licet  
plures Missas  
eodem die celebrare,

111. CONCL. III. Excepto die Nativitatis Domini, & casu necessitatis, non licet eidem Sacerdoti plures Missas eodem die celebrare. Ita itatur *c. Consulvisti. & c. Tereferente. de Celebrat. Missar.* juncto *c. Sufficit de consecr. dist. 1.* ubi pro ratione subjungitur: *Non modica res est, unam Missam facere: & valdè felix est, qui unam dignè celebrare potest.*

Excepto die  
Nativitatis  
Domini;

112. Additur, *excepto die Nativitatis Domini.* Quia illo die potest quilibet Sacerdos tres Missas celebrare, quamvis ad eas omnes celebrandas non obligetur: & si voluerit dicere tantum unam dicat quam maluerit sed melius leget tertiam, utpote cuius oratio concordat Officio diei.

113. Additur ulterius in Conclusionem, & casu necessitatis. Et casu necessitatis. Nam in casu necessitatis plures eodem die Missas celebrari posse à Sacerdote jejuno, & qui in prima Missa non fuit Purificationem, patet ex cit. c. Consultuisti. de celebr. Miss. estque communis Doctorum.

114. Porro inter hujusmodi casus necessitatis, potissimum numerantur sequentes. I. Ne moriturus sine S. Viatico decedat, quando non adeit alia Hostia consecrata. II. Ne populus die festo Missa privetur, praesertim in casu, quando plures Sacerdotes haberi non possunt, v. g. in Anglia, &c. aut quando Sacerdos habet duas Parochias, & die festo in utraque celebrare tenetur. III. juxta nonnullos, quando die festo adveniunt peregrini Missam audituri: vel quando ad Ecclesiam accedit Vir Illustris, utputa Princeps, vel Episcopus. Verum hodie standum est consuetudini locorum, cum ob multiplicationem Sacerdotum aliqui casus raro amplius locum habere soleant.

### QUESTIO X.

Quo in Loco sit celebranda Missa? Ubi de Violatione

Ecclesiae.

115. **C**ONCL. I. Jure communi, & ordinario, olim Missam celebrare non licuit, nisi in Ecclesia consecrata; sive, ut dicitur c. Nullus. de consecr. dist. 1. *Nisi in sacratis ab Episcopo locis.* Hodie autem sufficit, Ecclesiam, vel Oratorium esse benedictum, aut etiam non benedictum, dummodo ad hunc solum usum debite deputatum, atque ab Episcopo designatum fuerit. Ita Herinex *cit. disp. 8. quest. 11.* cum communi: idque inter alia desumitur ex Concilio Trid. *Sess. 22. in Decreto de Observandis in celebratione Missarum;* ubi prohibetur Episcopis, ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultu dedicata Oratoria, Sanctum hoc Sacrificium peragi. Concordant Rubrica Missalis, *Tit. De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus, ibi: Si celebratur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo: & consequenter à sensu contrario, sufficit locum ab Episcopo esse deputatum.*

Quo in loco de jure communi sit celebranda Missa?

116. Dicitur notanter: *Jure communi, & ordinario.* Siquidem in primis excipitur casus necessitatis, *arg. can. 1. de consecr. dist. 1. ubi dicitur Missarum celebrationem non alibi, quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere.* Unde, cum exceptio firmet regulam in oppositum, tempore magnae necessitatis licet alibi celebrare, in loco tamen honesto.

Quid in casu necessitatis?

Gggggg 2

17. Por-

Enumeran-  
rortales ca-  
sus necessi-  
tatis.

117. Porro necessitas celebrandi extra Ecclesiam conse-  
cratam in privatis domibus, aut etiam sub dio, in Altari tamen  
portatili, & loco ceteroquin honesto, juxta Doctores communi-  
ter potest esse. I. Si Ecclesiæ sint diruta, vel ab Infidelibus, sive  
Hæreticis occupata. II. Si Locus sacer non capiat tot homines,  
vel Celebrantes: ut in Supplicationibus ad parvas Capellas  
quandoque contingere solet. Similiter ob eandem necessita-  
tem in publicis Cairis, seu bello, pro Exercitu licitum est cele-  
brare. Herincx, Layman *loc. cit.* & alij.

Episcopus  
potest di-  
spensare ex  
causa ra-  
tionabili.

118. Excipitur ulterius, si fiat dispensatio ab Episcopo. Nam  
Episcopus ex rationabili causa potest dispensare, ut celebretur  
Missâ in loco profano, honesto tamen, et si alijs usibus sit deputa-  
tus, utputâ in hypocaufto Nobilis Personæ ex morbo decumben-  
tis, super Altare portatile ritè præparatum. Layman *cap. 5. de Sa-  
crificio Missæ, num. 4.* & alij. Idem dicendum, si qui à Summo Ponti-  
fice privilegium acceperint extra Ecclesiam Missas celebrandi.

An sit licitum, cele-  
brare Missâ  
in aqua, vel  
mari?

119. Quæres, num sit licitum, celebrare Missam in Aqua,  
vel mari pro navigantibus? Resp. negativè, regulariter loquen-  
do: idque propter periculum effusionis Sacratissimi Sanguinis.  
Dicitur, *regulariter loquendo*: nam in longinquis navigationibus  
v. g. in Indias Orientales susceptis, si magna sit tranquillitas sine  
ullo tempestatis indicio, adsitque præter Celebrantem alius Sa-  
cerdos, qui post Consecrationem firmiter teneat Calicem, ita ut  
absit omne periculum effusionis Sacri Sanguinis; non pauci Au-  
thores, quos citat, & sequitur Lugo *disp. 20. de Eucharistia, sect. 3.*  
existimant, posse aliquando celebrari in mari. Id ipsum in na-  
vigatione Orientali, nonnullis à Sede Apostolica specialiter con-  
cessum fuisse, sed pro Triremibus in mari Mediterraneo negatum,  
refert cit. Lugo *n. 89.*

Non licet  
celebrare  
Missam in  
Ecclesia  
polluta.

120. CONCL. II. Non licet celebrare Missam in Ecclesia  
polluta, seu violata. Ita communis; & pater ex *c. Proposuiti, ac seqq.*  
*de Consecr. Ecclesie, cum concordantijs.* Hinc Rubricæ Missalis, *Tit.*  
*De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic habent: *Si Sacerdote*  
*celebrante violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Cano-*  
*nem, non dimittatur.* Hæc ibi. Incipit autem Canon, post dictum  
*Sanctus*, ab illis verbis: *Te igitur Clementissime Pater, &c.* Nihilomi-  
nùs, etsi celebrans in Ecclesia polluta mortaliter peccet; uti patet  
ex prohibitione Ecclesiæ, & gravitate ipsius materiæ: nullam ta-  
men Censuram, vel Irregularitatem talis incurrit, cum hæc Jure  
statuta non reperiatur. Bonacina *quest. 4. de Matrim. punct. ult.*  
*n. 26. cum communiore,*

121. Quæ-

121. Quæres autem occasione hujus Conclusionis, & quantum attinet alteram partem Quæstionis, quibus modis Ecclesia violatur? Resp. Generatim loquendo, quinque præcipue modis violatur, seu polluitur Ecclesia. Et quidem

122. I. Violatur Ecclesia per injuriosam humani sanguinis effusionem. Requiritur autem ad hoc, ut percussio seu vulnus infligatur homini existenti in Ecclesia, & non super tectum, aut currim, aut subtus speluncam Ecclesiæ (g) sive deinde sanguis effundatur intra, sive extra Ecclesiam; imò etiamsi vulnerans existat extra Ecclesiam. Deinde requiritur, ut percussio sit gravis, seu talis, quæ sit peccatum mortale: Unde si casu quis alterum percutiat, vel eum veniali tantum culpâ excutiat alteri sanguinem è naribus (v. g. cum pueri ex veniali solum cholera sese percutiunt, usque dum manent sanguine è naribus) Ecclesia non polluitur. Tandem requiritur, ut tale factum sit notorium, juris, aut facti notitiâ: universim enim, ut Ecclesiæ aut Altaris violatio inducatur, oportet factum esse notorium; idque vel per sententiam Judicis, aut confessionem in Judicio factam, quod dicitur *Notorium juris*; vel per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit, quod vocant *Notorium facti*.

123. II. Violatur Ecclesia per homicidium injuriosum, ac notorium, quod, vel cujus causa intra Ecclesiam perpetrata est, licet fiat sine sanguinis effusione. Dicitur notanter, *cujus causa intra Ecclesiam perpetrata est*: nam, si quis foris sit percussus, & postmodum in Ecclesiam se recipiat, ibique quantumvis copioso sanguine effuso moriatur, non violatur Ecclesia. Cæterum sufficit in proposito, ut homicidium sit injuriosum ipsi Ecclesiæ, seu sanctitati loci, quamvis non sit injuriosum ipsi occiso; unde si quis seipsum in Ecclesia suspendat, vel Judex cuiquam Reo in Ecclesia mortis supplicium inferat, adhuc violabitur Ecclesia.

124. III. Violatur Ecclesia per illicitam, & notoriam humani seminis effusionem factam intra Ecclesiam, non autem in turre tantum, vel super tectam, ut supra n. 122. in simili dictum est: repugnat enim ea sanctitati loci. Quod si ejusmodi effusio sit involuntaria, aut si accidat in somno, licet causa sit data in vigilia, non violatur Ecclesia: nam hoc ipso, quod ipsa accidat in somno, secundum se non est libera. Herincx *loc. cit. q. 11. n. 119.* Bonacina *num. 19.* Navarrus, Sylvester, & alij. Sufficit autem, sive ea seminis effusio fiat per pollutionem voluntariam, sive per fornicationem: utroque enim modo violatur Ecclesia, si ea sit notoria juris, vel facti notoreitate.

G g g g g 3 125. De

Ecclesia  
polluitur  
quinque  
præcipue  
modis.

I. Per injuriosam humani sanguinis effusionem; & qualem? (g) *Ut dicitur Tr. 12. Dist. 2. n. 7.*

II. Per injuriosum homicidium.

III. Per illicitam humani seminis effusionem.

Et quid de  
actu conju-  
gali ?

125. De actu conjugali dubitant Doctores, quibusdam ab-  
solutè affirmantibus, alijs negantibus, ceteris verò magis pro-  
babiliter excusantibus duntaxat casum necessitatis; quæ contin-  
gere potest ob probabile periculum incontinentiæ, si conjuges  
longo tempore intra Ecclesiam cohabitare teneantur.

IV. Per se-  
pulturam  
excommu-  
nicati vi-  
tandi.

(h) Tract.  
23 Dist.  
2. n. 26.

126. IV. Violatur Ecclesia per sepulturam excommunica-  
ti. Hoc tamen post Concilium Constantiense intelligendum est  
de excommunicato non tolerato, videlicet de illo, qui aut publi-  
cè denunciatus est, aut notorius percussor Clerici exiit: hi enim  
soli defacto sunt vitandi in vita, ac proinde etiam in morte; jux-  
ta illam regulam, *Quibus non communicamus vivis, non communicamus  
defunctis*: c. Sacris. de Sepulturis. Nec obstant dicta superius (h)  
ubi cum probabiliori Doctorum negatur, excommunicatum to-  
leratum absque prævia absolutione posse sepeliri in loco sacro.  
Ratio enim disparitatis est: quia Concilium Constantiense noluit  
ipsoimet excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodoli-  
bet suffragari; sed solum intendit tollere alia incommoda, quæ  
ex antiqua generali prohibitione communicationis Fidelium cum  
excommunicatis sæpiùs oriebantur, atque in posterum oriri po-  
terant, inter quæ meritò connumeratur Violatio Ecclesiæ per se-  
pulturam excommunicati: sicque etiam talis Violatio Ecclesiæ  
defacto solum procedit in duobus enumeratis casibus.

V. Per sepul-  
turam Paga-  
ni, seu Infi-  
delis.

127. V. Violatur Ecclesia per sepulturam Pagani, seu Infi-  
delis, prout habetur c. Ecclesia. de consec. dist. 2. Et hoc etiam intel-  
ligendum de infante necdum baptizato. Quòd si tamen infans  
in utero matris mortuus sit, potest unacùm matre Christiana se-  
peliri in Loco sacro: quia foetus est pars matris, & unum quasi  
cum ea corpus censetur, arg. L. 1. ff. de Ventre inspiciendo, ibi: *Par-  
tus enim, antequam edatur, mulieris portio est vel viscerum.*

Alij duo  
modi à non-  
nullis ad-  
duantur.

128. Dicitur notanter num. 121. *quinque præcipuè modis.*  
Nam nonnulli addunt duos alios modos Violationis Ecclesiarum;  
videlicet, quando Ecclesia benedicatur, vel consecratur, ab Epi-  
scopo excommunicato publico; item, quando parietes Ecclesiæ  
consecratæ majori ex parte simul dejiciuntur, ac destruantur, ut  
reædificari debeat. Verùm de priori casu meritò dubitant cæce-  
ri Doctores; cùm ejusmodi Violatio nulli claro textui Juris inni-  
tatur, atque in poenalibus non sit facienda extensio, nisi habeat-  
ur in Jure: unde sententiam negativam appellat Bonacina *loc.  
cit. n. 22.* probabilissimam. Posteriori autem casu potius Ecclesia  
destruitur, quàm polluitur.

129. Quæres II. An pollutâ Ecclesiâ etiam polluatür Cœmeterium, & e contra? Resp. cum communi. Pollutâ Ecclesiâ an polluatür Cœmeterium, si ei contiguum sit; non tamen vicillim polluto Cœmeterio polluitur Ecclesiâ. Ita communis; & habetur decisum cap. un. de Consecrat. Eccles. in 6. Accedit ratio: quia, ut inquit Reg. 42. Juris in 6. Accessorium naturam sequi congruis principalis, non e contra: atqui Cœmeterium, si sit contiguum, est accessorium Ecclesiâ; ergo. Additur notanter, si sit contiguum: nam secus est, si Cœmeterium fuerit remotum ab Ecclesiâ, prout notatur cit. cap. un. in 6.

Pollutâ Ecclesiâ an polluatür Cœmeterium & e contra?

130. Quæres III. Quid juris, quando in dictis casibus factum est occultum? Resp. Locus sacer in eiusmodi casibus non censetur pollutus, ita ut indigeat reconciliatione, quamdiu de eis publicè non conitat. Ita Glossa communiter recepta cap. 1. §. pollui. de Consecrat. Eccles. in 6. Quare, quamdiu res manet occulta, ita ut nemo, vel non nisi pauci sciant, Ecclesiâ quoad iudicium humanum non est polluta: censetur autem polluta, quando cunque res mala propalabitur, & de facto publicè constabit; quia tunc bona fama, ejusque exultimatio apud homines deperdita erit, ac proinde indigebit reconciliatione.

Quid, si in dictis casibus factum est occultum?

131. Quæres IV. Quid agendum, si Ecclesiâ fuerit polluta, seu violata? Resp. Cùm per se loquendo sit grave peccatum, celebrare in Ecclesiâ violata, hinc eadem prius est reconcilianda. Ita communis.

Quid agendum, si Ecclesiâ sit polluta?

132. Et quidem, si Ecclesiâ prius fuit solemniter consecrata, eam solus Episcopus reconciliare potest, adhibita aquâ per ipsum benedictâ, ac vino & cinere mixtâ: unde simplex Sacerdos Ecclesiâ consecratam reconciliare nequit, nisi ex commissione Summi Pontificis.

Et quomodo reconcilianda, & à quo?

133. Dicitur notanter, nisi ex commissione Summi Pontificis: nam hac accedente poterit etiam simplex Sacerdos Ecclesiâ consecratam reconciliare. Quo modo ex privilegio, & concessione Domini Papæ, Superiores FF. Minorum possunt Ecclesiâs sibi subiectas, aquâ tamen prius per Episcopum consecratâ, reconciliare, quando Episcopus distat duabus dietis (una dieta continet viginti miliaria italica, quæ faciunt quatuor vel quinque Germanica) prout eisdem concessum à Leone X. & refertur in Compendio Privilegiorum. §. Benedicere.

Quid de FF. Minoribus?

134. Dicitur ulterius, Ecclesiâ consecratam. Nam si Ecclesiâ solum fuerat benedicta, seu autoritate Episcopi ad Divinum

Aut si Ecclesiâ fuit tantum benedicta?

Cul-



Cultum, aque Officium deputata, poterit etiam simplex Sacerdos eam reconciliare aquâ à se benedictâ; prout notat cum alijs Layman *loc. cit. num. 12.* Quamvis decens sit, ac ita consuetum, ut negotium hoc prius Episcopo significetur.

Ecclesia pol-  
luta, an re-  
concilietur  
per celebra-  
tionem  
Missæ?

135. Addunt nonnulli Auctores, videlicet Sâ *ſ. Ecclesia*, *n. 19.* Castro, Avila, quando Sacerdos celebrat in Ecclesia polluta, præsertim bonâ fide (imò & malâ fide) iam propter summam virtutem tanti Sacrificii Ecclesiam haberi pro reconciliata. Accedit textus *c. De fabrica, de consecr. dist. 1.* Sed hanc sententiam meritò rejiciunt Layman *loc. cit. num. 13.* Sannig *dist. 5. de Missa, quæst. 10. num. 23.* & alij: cum ea nullo jure fundata sit. Nam textus citatus loquitur de alio casu, ut notat Engel *tit. de Consecrat. Eccles. num. 15.* ubi, quamvis non nihil faveat priori sententiæ, illico subjungit, quod tutius sit, verâ reconciliatione uti, quam sacri Canones præscribunt.

Quid agen-  
dum, si du-  
rante Missâ  
violetur Ec-  
clesia?

136. Quæres V. Quid agendum, si durante Missâ contingat Ecclesiam violari? Resp. conformiter Rubricis Missalis, *n. 120.* relatis, si id accidat ante Canonem, dimittendam esse Missam: secus, si post Canonem. Quid autem sit agendum, quando sub Missæ Sacrificio ingreditur Ecclesiam excommunicatus vitandus: dictum est *Tract. 13. Dist. 2. n. 40.*

## Q U Æ S T I O X I.

De alijs notabilibus Dubijs circa Sacrificium  
Missæ.

An plures  
possint ean-  
dem Hosti-  
am conse-  
crare?

137. **Q**uæritur I. An plures simul eandem Hostiam consecrare possint? Ratio dubitandi est: quia Sacerdotes noviter ordinati, juxta Pontificale Romanum morantur, ut unâ cum Episcopo, eisdem ordinante, proferant verba Consecrationis, & cætera peragant, quæ habentur in Canone Missæ; atqui eo tempore jam habent eisdem Sacerdotes potestatem consecrandi; ergo.

Et quomo-  
do?

138. Resp. Possunt plures simul eandem Hostiam consecrare, dummodò formam Consecrationis cum debita intentione simul super eandem Hostiam proferant, & absolvant: quòd si verò unus eorum, intendens absolutè consecrare, alterum in finienda prolatione formæ præveniat, tunc ipse solus consecrabit, non verò alter. Ita communis Theologorum; & ratio hujus potestatis partis est: quia Hostia semel consecrata, est incapax ulterioris Consecrationis.

139. Nec

139. Nec obstat, quòd ambo simul inceperint formam Consecrationis proferre. Resp. enim, Consecrationem completè non perfici, nisi post integram prolationem formae Consecrationis, quà rite prolata mox Consecratio Eucharistiae est perfecta: unde solus ille consecrabit, qui cum debita intentione consecrandi prius absolvit formam.

140. Quæritur II. Quam igitur intentionem consecrandi simul cum Episcopo debeant formare Sacerdotes noviter ordinati sub ea Missa, sub qua ordinantur? Ratio dubitandi est: quia vix moraliter loquendo possibile est, ut in eodem momento una cum Episcopo finiant formam Consecrationis: unde videtur se-qui, quòd si Episcopus prius finierit formam Consecrationis, Sacerdotes noviter ordinati consecrent Hostiam jam consecratam, quòd est falsum: vel, si isti præveniant, Episcopus ordinans nihil sit acturus, neque consecraturus, quòd est absurdum; cum Episcopus sit principalis Minister, offerens illud Missae Sacrificium.

141. Resp. I. Quòd ad praxin atinet, optimum est consilium, ut Sacerdotes noviter ordinati intendant cum Episcopo proferre verba Consecrationis modo, quo possunt meliori; si-ve cum ea intentione, quam juxta sensum, atque ordinationem Ecclesiae, tunc habere debent. Ratio est: quia hoc modo evitatur omne periculum errandi, & quodlibet inconveniens ex præallegatis. Suarez part. 3. tom. 3. disp. 61. sect. 4. & alij.

142. Resp. II. Optimus modus, atque intentio Ecclesiae videtur in hoc consistere, ut Sacerdos noviter ordinatus nullo modo præsumat, neque intendat prævenire Episcopum in consecrando: hoc enim foret magnum inconveniens, quia tunc reverà Episcopus non sacrificaret; eò quòd Missae Sacrificium essentialiter consistat in Consecratione, quæ tunc non ab Episcopo, sed à Sacerdote noviter ordinato fieret.

143. Deinde noviter ordinatus Sacerdos habeat intentionem conditionatam, seu potiùs disjunctam, vel consecrandi cum Episcopo, si possit simul cum eo formam absolvere; vel, si id non accadat, verba Consecrationis materialiter solum proferendi, in signum Potestatis Sacerdotalis sibi tunc concessæ. Quinimò sunt multi Authores, quos refert, ac sequitur citatus Suarez, qui tenent, in dicto casu solum Episcopum proferre verba Consecrationis formaliter, seu cum intentione consecrandi; alios verò Sacerdotes noviter ordinatos, proferre ea solum materialiter, seu in signum Potestatis Sacerdotalis sibi tunc concessæ.

H h h h h

Igi.

Igitur ad evitanda quæcunque incommoda proferant Sacerdotes noviter ordinati unà cum Episcopo verba Consecrationis juxta sensum, atque intentionem Ecclesiæ, ac modo quo possunt meliori: sic enim nullum aderit periculum errandi.

Quid agendum si aqua pro vino infundatur?

144. Quæritur III. Quid agendum, si ex errore Sacerdos infuderit aquam pro vino, idque primùm post Consecrationem advertat? Resp. cum Rubricis Missalis, *Tit. De defectu vini*, & communi Doctorum. Si Sacerdos post verba Consecrationis advertat, vinum non esse positum in Calice, sed aquam, depositâ aquâ in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice; & factâ Oblatione, saltem mente conceptâ (idest, formando intentionem consecrandi, & dicendo saltem mentaliter illam Orationem, *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*, &c. absque ejus elevatione, neque faciendo cum ipso Crucem super altare) statim debet consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo, postquam conatum est* &c. & Missam profequi.

Quid, si error primùm advertatur post summionem?

145. Et hoc idem faciendum, etiamsi error primùm advertatur post summionem hujusmodi aquæ. Debet enim Sacerdos pariter apponere novum vinum cum aqua in Calice, & factâ Oblatione, saltem mente conceptâ, consecrare, ut supra, & sumere; quamvis non amplius sit jejunis. Siquidem præceptum Divinum de integritate Sacrificij Missæ magis urget, quam præceptum Ecclesiasticum de sumenda Eucharistia à jejunis.

Aut dum aqua habetur in ore?

146. Sed quæres, quid agendum, si Sacerdos, dum potum adhuc habet in ore, priusquam deglutiat, sentiat eum esse meram aquam? Respondent Angelus *ψ. Missa, num. 17.* & Sylvester *ψ. Eucharistia, II, num. 15.* quod, si potest sine scandalo, emittat aquam in Calicem, & extrahat particulam S. Hostiæ, ipsamque aquam reponat in alio vase: & sic accipiat vinum, & consecret, ut supra; ac post summionem Sanguinis, etiam aquam illam sumat, si potest sine periculo vomitûs, vel si timet de vomitu, reponat in Sacratio. Sed cum hoc sit difficillimum, & communiter non careat periculo scandali, præsertim si celebretur in publico; sitque non parva irreverentia, Particulam consecratam, prius Calici in fractione Sacræ Hostiæ immixtam, rursus ex ore in Calicem evomere: hinc benè notat Gavantus *part. 3 in Rubr. Miss. tit. 4. num. 5.* post Suarezium, quod absque scrupulo possit Sacerdos deglutire primum, & rursus consecrare, ac sumere secundum.

147. Possent hoc loco plura similia Dubia, Sacrificium Mis-  
sæ concernentia, moveri. Verùm ea exactè, simulque breviter  
resolvuntur in Rubricis Missalis, à quolibet Sacerdote benè le-  
gendis, atque observandis: hinc ipsa impræsentiarum omit-  
tuntur.

Alia Dubia  
remissivè

# DISTINCTIO VI.

## De Sacramento Pœnitentiæ.

### QUÆSTIO I.

#### De institutione, natura, & necessitate Sacramenti

Pœnitentiæ.

1. Pœnitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, & ut  
est Sacramentum. Pœnitentia ut Sacramentum, est unum,  
& in ordine quartum ex septem novæ Legis Sacramen-  
tis. Pœnitentia ut virtus non est Sacramentum, sed virtus quæ-  
dam: qualis defactò etiam requiritur ad ipsum Sacramentum  
Pœnitentiæ ritè ac fructuose percipiendum, cum sit pars ipsius.  
Et hanc communiter ad differentiam Pœnitentiæ Sacramenti,  
solemus alio nomine vocare *Dolorem de peccatis, cum proposito non  
peccandi de cætero*; qui postmodum dividitur in Contritionem, &  
Attritionem.

Pœnitentia  
sumitur ut  
Sacramen-  
tum, & ut  
virtus.

2. CONCL. I. De Fide est, Pœnitentiam esse verum & pro-  
priè dictum novæ Legis Sacramentum. Ita habetur tum ex per-  
petuo sensu & traditione Ecclesiæ, tum ex definitione plurimum  
Conciliorum, ac novissimè Concilij Tridentini *Sess. 14. can. 1. sic*  
definientis: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse*  
*verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata*  
*labuntur, ipsi DEO reconciliandis, à Christo Domino institutum: anathe-*  
*ma sit.*

De fide est,  
Pœniten-  
tiam esse  
Sacramen-  
tum.

3. CONCL. II. Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè  
Christus Dominus instituit, cum à mortuis excitatus insufflavie  
in Discipulos suos, *Joan. 20. dicens: Accipite Spiritum sanctum, quo-*  
*rum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta*  
*sunt.* Ita communis. Nam optimè S. Concilium Tridenc. *Sess.*  
*14. cap. 1. ad citatum textum Evangelicum, sic loquitur: Quo tam in-*

Est à Christo  
institutum.

Hhhhh 2 signi